3.

EPOPSIS CONSULTATIONIS MANGIONIANÆ,

DEFENSIONEM

CAII

EXHIBENS:

EX

LIMPIDISSIMIS ISRAELIS FONTIBUS SS. Canonum, Bullarum ac Constitutionum Pontificiarum, ipsiusque Societatis Iesu fundamentalibus institutionibus, Examinibus & decisionibus, nec non iure communi scripto adornata, & per modum omni iure licitæ inculpatæ tutelæ minori indefenso à Prouocante, cuius conditio in iure deterior, extorta.



COLONIÆ AGRIPPINÆ
Excudebat PETRUS METTERNICH prope ab Augustinianis, ANNO 1637.

Ordo Præpoſ. Gener. Societat. fol. 29.

In bonorum exactionibus & conuentionibus cum conſanguineis ineundis, pacis ergo omnes, & ædificationis ratio maxima habeatur potius quam vllius rei temporalis quanticunque ſit.

Magnificis, Amplißimis, Nobilißimis, Prudentißimis, Clarißimis, & Consultißimis Viris, ac

DD. CONSVLIBVS TOTIQVE SENATVI

INCLITÆ AC LIBERÆ IMPERIALIS REIPVBLICAE COLONIENSIS, DOMINIS

meis Clementibus & Gratiosis, Patronis incomparabilibus.

SI non orbi, Patres conſcripti, Domini gratioſi, Vrbi ſaltem veſtræ Inclytæ procul dubio increbuit, conciui veſtro deuoto & fideli Tutori ob demandatam ſibi authoritate publica Orphani ſui innocentis defenſionem ſuſceptam & præſtitam, oborta iudicialis impetitio, & quotidie ingraueſcens excommunicationis immatura verecundia? cuius ſi ſemina expendamus vltrò ſe ingerit diſputationis, contradictio-

 nis-

nisque perquàm necessariæ prohibitio, quæ acerbissimè executum defendit ab ignominia, tergiuersantem & à propria causa quandoque deficientem à contumacia: Si debilis, si inanis defensio & impetus noster sit, si Aduersarij clypeum veritatis gestēt, quid timeant? cur refugiant? cur se è prælio subducant? cur, quibus impetuntur tela abscondant, & sententiæ per appellationem suspensæ executionem sollicitent? Sed necdum satis est, meditatur nonnullus aduersus me nouas pugnas & certamina nuper inflato classico, cum dispendio vitæ quam bonam famam vocito, & bonorum, id est, sanguinis, quæ ne pugnis & pennis excipiam impediet, vt credo nemo mortalium, contra naturæ & rationis dictamen defensionem omnibus brutis animantibus, nedum hominibus imprimens, Huic itaque ob durius

quo

quo homines ferit imperium, non possum non obtemperare, propria ope quamuis ob ætatem adhuc tenui, tanquam aliorum prçsidio, etiam, prô dolor, curatorio destitutus, defensionem modestè exhibens. Vos Patriæ Orphanorum & miserabilium personarum Patres, vestræ authoritatis & gratiæ amuletum collo meo quo securior sim in hoc cõgressu appendendum gratiosè mihi vestro indigenæ adolescenti concedite, & piè vt soliti, ac diu vt meriti, concreditos subditos vestros regite Ecclesiæ & Reipublicæ bono.

Ita vouet animitus

Vestr. Magn. Nobil. Ampliss. Prudentiarum Supplex, humilis & officiosissimus Verna,

IOANNES MERRHEM
LL. Candid. Agrippinas

SVMMARIVM.

1. F*Acti species spectans ad Caium hæredem.*
2. *Status Controuersiæ : An post vota essentialia Religionis propriè dicta, maxime si vouentis intentio detecta sit, liceat testari*
3. *Negatur. I. ex iure Societ. c. 8. §. 1. lit. H. Exam. & part. 3. c. 1. Constit. lit. G. iunct. c. 4. §. 1. Exam.*
4. *Ingressuri Societatem iteratò disponere nequeunt.*
5. *Responsio Aduersarij.*
6. *Confutatur.*
7. *Instantia & Obiectio Aduersarij.*
8. *Verba Constitutionum ita intelligenda sunt, vt aliquid operentur.*
9. *Secundum Argumentum ex Constit. Pontificiis, quibus Scolaribus Societatis denegatur vsus rerum vt propriarum.*
10. *Allegantur Constitutiones Pontificiæ.*
11. *Propositionem adumbrat Ludouic. Molin. & Ioan. Honor. ab Axel.*
12. *Argumentum Tertium ex Ordin. Præpos. Gener. Societ. Ies. vbi Scolares iubentur dominium temporalium rerum quantocyus abdicare.*
13. *Aduersarius nihil respondet, cuius ibidem assignatur ratio.*
14. *Testamentum non potest Superioris voluntate confirmari.*
15. *Argumentum Quartum ex iure communi.*
16. *Difficulter consentit Rector Societatis in reuocationem testamenti in fauorem ipsius conditi.*
17. *Argumentum Quintum ab authoritate Nauarri, Mandosij, Gabrielij, Roderic. Rodricq. Haij qui volunt Scolasticos Societatis non retinere dominium in particulari.*
18. *Nauarrus est Doctor omni exceptione maior.*
19. *Argumentum Sextum, quo inutile asseritur esse dominium cum quo vsus nunquam consolidatur.*
20. *Responsio Aduersarij est elumbis.*
21. *Argumentum Septimum ab absurdo.*
22. *Fallitur in responsione Aduersarius perhibens, quo ad vsum dependentem Titium ciuiliter viuere.*
23. *Argumentum Octauum à contrario sensu ex c. 4. §. 1. Exam.*
24. *Argumentum Nonum ex c. si religiosi de elect. in 6. l. 33. & ibi Dd. ff. de hæred. instit.*
25. *Religiosus potest contrahere inter viuos, at non testari.*
26. *In Constitutionibus Societ. de testamento post emissa vota conficiendo nullum reperitur verbum.*
27. *In responsione ad Argumentum Nonum Aduersarius erroris arguitur ex Constit. Societ.*

Propter

28. *Propter votum Obedientiæ non tantum tempus determinatur dispositionis sed vel maxime dispositio ipsa.*
29. *Instantia Aduersarij retorquetur.*
30. *Confutantur Argumenta ex iure Societatis ab Aduersario allata. Schola-*
31. *res vbi ante vel statim post emissionem votorum simplicium dominium rerum in seculo habitarum abdicarunt, retinent dominium bonorum collegialium in communi.*
32. *Iustas ob causas possunt Scolares retinere dominium emissis substantialibus votis ad tempus.*
33. *Dispensatio contra vota substantialia sine iustis causis est periculosa.*
34. *Nec quicquam interest inter vota substantialia Religionis simplicia vel solennia.*
35. *Ab Aduersario allegatur textus ex iure Societ. p. 6. c. 2. §. 11. lit. H.*
36. *Nobis tamen non officit ex eodem c. 2. iunct. c. 4. Exam.*
37. *Textus ex part. 3. Constit. c. 4. conciliatur cum alijs.*
38. *Aduersarij Obiectio confutatur à Rodriq. & Hayo, ex quorum sententia Scolares Societatis post emissa vota, ne dominium in communi quidem retinent.*
39. *Textus ex part. 3. Constit. c. 7. hinc remouetur.*
40. *Textus adductus ex Exam. c. 4. §. 1. nobis suffragatur contra opinationem Aduersarij.*
41. *Periculosa est retentio dominij post vota substantialia sine iusta causa.*
42. *Illationes ex prædictis.*
43. *Confutantur Argumenta ex iure Pontificio.*
44. *Confirmationis ea est natura, vt confirmato robur addat & firmitatem, non vero extendat ad non expressa in confirmato.*
45. *Religiosi dominio in particulari orbati sæpenumero erogant bona in pios vsus.*
46. *Aduersarius infideliter supponit retentionem dominij post vota sine iustis causis.*
47. *Ratio in Constit. Societ. cur dominium retineatur, ab Aduersario non ponderatur.*
48. *Declaratur quomodo vota in Societate sint æqualia.*
49. *Sæpe infirmum est argumentum, quod à propria vocabulorum trahitur significatione.*
50. *Res dicitur sua cuius dominium quis in communi habet.*
51. *Confutantur Argumenta ex obseruantia subsecuta.*
52. *Consuetudo secundum legem non est eius interpres.*
53. *Dubia, & cum animæ periculo est consuetudo contra vota essentialia Religionis.*
54. *Consuetudo erronea in causa finali est corruptela.*

Aduer-

55. *Aduersarius testatur de facto proprio.*
56 *Confutantur argumenta ex iure communi.*
57. *Aduersarius insubtiliter argumentatur.*
58. *Voluntas abdicandi dominium si alius ex titulo in detentione rerum existat, non reuocatur.*
59. *Votum simplex non substantiale Religionis sine traditione non transfert à vouente dominium.*
60. *Quia illud ex mera animi destinatione non transit.*
61. *Argumentum Decimum, quo ostenditur Titium post vota etiam mere simplicia in Caium fratrem transtulisse dominium.*
62. *Titius post vota in Societate emissa, explicat intentionem abdicandi dominium.*
63. *Pœnitet Titium testamenti ante ingressum facti.*
64. *Titius transtulit dominium in Caium irrecuperabiliter vi votorum.*
65. *Etiam vi testamenti ante ingressum conditi.*
66. *Non est ad coniecturas recurrendum, quando verba Scolastici indubitanter, quid ipse votum emittendo animo agitauerit, aperiunt.*
67. *Titius paruit Constit. Societ.*
68. *Titius ostendit effectum penitus abstractum à dominio & proprietate rerum temporalium.*
69. *Abdicatio dominij est votis substantialibus Religionis proprie dicta, coæua.*
70. *Ingressus Monasterium capite minuitur, & in potestatem Abbatis transit.*
71. *Auth. ingressi. C. de SS. Eccles. intelligitur tam de primo ingressu, quam illo qui fit per professionem, sed diuerso effectu.*
72. *Obiectio Aduersarij remouetur.*
73. *Ratio diuersitatis, quare post vota substantialia Religionis duret matrimonium, dominium vero recedat.*
74. *Ingressus Religionem priuatur dominio ex ratione iuris ciuilis, etiam ante vota.*
75. *Qua ex parte rursus nulla est differentia inter vota solennia & simplicia religionis propriè dicta.*
76. *Votum Castitatis in Societate inualidat contractum matrimonij & habet vim voti solennis.*
77. *Aduersarius fecit ense Excommunicationis SS. Theologiæ Doctores.*
78. *Doctores possunt disputare contra priuilegia Societatis in hac causa.*
79. *R. Patres Societatis etiam ante sententiam definitiuam Curatorem ex necessitate officij minorem Caium. defendentem excommunicatione à iustissima lite deterrere annisi sunt.*
80. *Curator habet iustissimam causam litigandi.*

Facti.

Facti Species.

TITIVS Societatem IESV ingrediens condidit te- 1.
ſtamentum, in quo ex aſſe inſtituit Caium, fra-
trem ſuum germanum, à ſanguine ſibi proximio-
rem, & legati titulo ter mille daleros imperiales
d. Societati reliquit, decurſo vero poſt ingreſſum biennio
(tam diu enim Societatis homines in prima probatione exi-
ſtunt) emiſit vota Paupertatis, Caſtitatis & Obedientiæ, ſimpli-
cia quidem, ſed eſſentialia & ſubſtantialia Religionis, & Caio
miſſis literis animum & intentionem ob Paupertatem voto e-
miſſam nullum retinendi rerum temporalium ius aut domi-
nium ſignificauit A. qui hanc ob cauſam in detentione rerum A
exiſtens, mutauit ſibi titulum poſſeſſionis ex tunc ciuiliter ani-
mo domini poſſidere niſus; at Titius procedente tempore, quo
ſpiritu ductus neſcitur, poſt votorum impletionem & propriam
executionem, de Superiorum, vt creditur, inſtinctu, reuocauit
teſtamentum antea ad fauorem fratris conditum, & de facto a-
liud compoſuit in fauorem Collegij Colonienſis.

Controuerſiæ ſtatus.

EX propoſita facti ſpecie indifficilis diſceptatio in foro or- 2.
ta eſt, an Titius poſtquam vota Paupertatis edidit, vi con-
feſſionis & detectæ intentionis nihil habendi Caio detentato-
ri, poſt biennium probationis deſtitutus fuerit bonorum ſuo-
rum dominio, illudque in Caium tranſmiſerit, ac proinde
teſtamentum deinceps condere, aut quod in ſeculo fecerat, re-
uocare non potuerit, re delatâ in iudicium, & vtrimque ma-
gna contentione agitatâ, Iudices ſapienter quidem hanc con-
trouerſiam binis Theologis B interloquendo die 9. Iulij, An- B
no 1635. ad ſenſum motuum Pontificiorum decidendam cō-
miſerunt C. verùm non æquè (honore eorum per omnia ſal- C
uo) contra datam reſolutionem, ſecundùm aduerſarios, litem
& ſententiam dederunt, D. quemadmodum poſt eius promul- D
gationem demonſtrarunt nonnulli alij ſpiritu veritatis affla-

E ti in ſcripto quodam prædictæ reſolutionis confirmatorio, E. quod refutare & conuellere niſus eſt R. Valentinus Mangionius SS. Theologiæ Doctor recens ex Italia ad hanc vrbem appulſus, ſed infeliciter & fortè impar congreſſus Achilli, vt ex ſequentibus patebit.

ARGVMENTVM. I.

3. OMnes venerabilem Societatem Ieſu ingreſſuri, poſſunt de bonis quibuſcunque temporalibus, quæ habent, pro ſuo arbitratu & libera voluntate quomodolibet diſponere, per text. *in exam. cap.* 8. §.1. *lit. G.* tam per viam teſtamenti, *conſtit. part.* 3. *cap.* 1. *lit, G.* quam mediante alio quouis titulo oneroſo vel lucratiuo; qua in parte laudabiles conſtitutiones Societatis cum ratione naturali & lege poſitiua, tam ciuili quam canonica conſentiunt; nihil enim magis inſpecto hoc triplici iure hominibus debetur, quam vt ſupremæ voluntatis poſtquam iam aliud velle non poſſunt liber ſit ſtylus, & licitum quod iterum non redit arbitrium, ſed poſteaquam alterutro prædictorum
4. modo ad fauorem cuiuſcunque diſpoſuerunt, diſpoſitionis iſtiuſmodi reuocationem caſſationemque poſt ingreſſum ſeuerè prohibent, hac in parte contra rationes & textus iuris communis exorbitantes, quemadmodum videre eſt ex textu eleganti in *cap.* 4. §. 1. *Exam.* qui indiſtinctè diſpoſitiones de bonis ſeculo eiuſque vanitati demiſſis reuocare vetat, haud dubiè ad *d cap.* 8. §. 1. *& part.* 3. *cap.* 1. *lit. G.* relatiuus: qualitas enim adiuncta verbo debet intelligi ſecundum tempus verbi *l. in delictis.* §. *extraneis. ff. de noxal.* Bart. *in l. ex facto. ff. de hered. inſtit.* Dec. *in l. ius noſtrum ff. de reg. iur.* Atqui in allegato textu *d. cap.* 4. §. 1. qualitas eſt, *non reuocare,* verbum autem, *diſponere,* ergo iſta qualitas debet intelligi ſecundum tempus verbi, quod eſt, iuxta *d. c.* 8. §. 1. *Exam.* ante ingreſſum; Itaque infero ſecundum Conſtitutiones Societatis, Titium teſtamentum ante ingreſſum factum reuocare non poſſe.

Hoc argumentum confirmat Ludouic. Molina Societatis Theologus *de iuſtit. & iur. tract.* 2. *diſput.* 139. *pag.* 512. his verbis

bis: *Nouitÿ ante ingressum quidem in Nouitiatum statuere possunt de omnibus suis bonis temporalibus.* NB. *pro suo arbitratu*, & paulò post. *His ita constitutis affirmant Dd. communiter Religiosum vtriusque sexus, tum ante suum ingressum in Nouitiatum, tum tempore Nouitiatus testari posse de suis bonis.* Nauarr. *in c. non dicatis. num.* 76. Couarruu. *cap.* 2. *de testam. num.* 4. *&* 5. Clarus *lib.* 3. *sentent.* §. *testamentum, quæst.* 28. & quidem irreuocabiliter per rationem quæ subiungitur ab eodem ibidem, in responsione ad II. dubium, his verbis: *Alioquin eo ipso quod quis ingredi vellet religionem reque ipsa Nouitiatum ingrederetur, rescinderentur multa, quæ valida re ipsa fuerunt, quod est ridiculum, neque puto esse iurisdictionem in Ecclesia ad ea, quæ scilicet in seculo ante ingressum irrecuperabiliter alienata fuerunt, præcipuè sine intuitu ingrediendi speciali & expresso in Societatem ex eo ca tite reddenda inualida, Neque est credendum, vlla ratione id Ecclesiam voluisse, præsertim cùm neque cum illius constitutionis fine id congruat.* II. Quia Titius ante ingressum in Societatem in nostro casu se non spoliauit omnibus bonis, sed ter mille imperiales retinuit, in quibus finis legis aut constitutionis conseruatur, ne scilicet Nouitius ante professionem liberè recedat, ergo reliqua bona per ingressum incommutabiliter abdicauit, reseruatio enim vnius est abdicatio alterius, hinc traditur in *Constit. Societ p.* 3. *cap.* 1. §. 7. *lit. G.* ante ingressum quiuis de bonis suis temporalibus pro suo arbitratu disponere potest, sed postquam ingressus est, tam de ecclesiasticis quam secularibus disponat oportet, ita vt decet virum spiritualis vitæ sectatorem. Adam. Tannez. *tom.* 3. *disp.* 6. *de virtut. iust. annex. & statu quæst.* 3. *dub.* 6. *n.* 201. *& seqq.*

Respondet Aduersarius, falsum esse per illũ text. *Exam. c.* 4. §. 1. non debere reuocari dispositionem semel factam in fauorem cuiuscunque, etiam per testamentum, eo quod Constitutiones velint, dispositionem fieri in sancta & pia opera & in fauorem pauperum iuxta Euangelium, vnde potius testamentum ex Constitutionibus reuocari debet. 5.

6. Contra. I. Clausula *d. exam.* . 4. qua iubetur dispositio in pia opera fieri, non est necessitatis sed consilij. Ergo. Probatur antec. si esset necessitatis, colligo, non nisi iam dicto modo distribuendo res temporales transire ab abdicante dominium, quod sine dubio absurdum est, contingeret enim hac ratione donationem non inopi aut pauperi irrecuperabiliter factam, nullarum esse virium, nec ex ea transire dominium, aut si transeat, per ingressum tamen in Societatem reuocari, quod vtrumque inconcinnum, plenum rudis & inficitiarum est, Illud, quia eo tempore quo distributio vel donatio fit ingressurus necdum Societati subest, hominis autem non subditi dispositiones, illa infirmare non potest, vt iam dictum & concedit Aduersarius *n.* 61. Hoc, quoniam eueniret ingressum, qui in alijs sanctis Ordinibus causa est abdicandi dominij *Auth. ingressi. C. de SS. Eccles.* esse in hac Societate causam eiusdem acquirendi. II. Quoties qualitas non annectitur ad essentiam actus, non est necesse vtrumque verificari Zas. *in l. 7 §. 1. ff. quibus. ex caus. in possess. catur* sed in textibus sæpe citatis, qualitas illa distribuendi in pia opera non annectitur ad essentiam dispositionis, ergo.

7. Instat Aduersarius secundo, se in *d. §. 1. cap.* 4. non reperire verbum *non reuocare*, vnde ruit tota argumentatio de qualitate adiuncta verbo intelligenda secundum tempus verbi. Respondeo, reperit ibidem æquipollentia, hæc scilicet, *dispensare tamen hæc bona iuxta propriam deuotionem debent, & à se omnem fiduciam submouere eadem vllo tempore recuperandi*, quæ tantum operantur quantum propria Bald. *cons.* 262. *col fin. in 2. part.* Alex. *in l. 3. §. ideoque ff. de testib. & in l. 1. § fin. ff. de verb. obligat.* & æquipollens semper subauditur & sufficit *l. si mater. C. de instit & substit.* Bart. *in l. ab emptione col fin. ff. de pact.*

Obijcit. III. relata verba, ad dispositionem per viam testamẽti post obitum demum confirmandam, alias donec in viuis manet testator reuocabilem & ambulatoriam, haud recte accommodari.

8. Contra, si verba Constitutionum ita intelligenda sunt vt aliquid

quid operentur Andr. Tiraq. *in retract. p.* 1. §. 9. *gloss.* 2. *n.* 56. Mart. Coler. *de alim. lib.* 1. *c.* 4. *n.* 8. Sichard. *ad l.* 1. *de fidecom.* Morollus *consil.* 37. *n.* 35. vtique explicanda veniunt de dispositione per viam testamenti, nam illa quæ fit inter viuos sine mortis consideratione, cum per se ex natura sua sit absque constitutionis decreto irreuocabilis, prædictis verbis non circumscribitur, Nec quisquam iure dixerit statuto aut Constitutione liberam reuocandi testamentum potestatem tolli non posse, contra Bald. *in l. cum Ardemidoram fin. coll. C. vt in possess. legat.*

ARGVMENTVM II.

SCholares Societatis per emissionem substantialium votorum amittunt vsum rerum vt propriarum iure dominij 9.
competentem, & habent dominium tanquam non habentes, secundùm Pontificem in Constitutione, quæ incipit: *Quantò* 10.
fructuosius. vbi ita habetur, *In illorum vsu religiosam Paupertatem seruant, nec vlla re tanquam propriâ, & sine Superioris facultate vti possunt.* quod eisdem verbis repetitur in alia Constitutione incipiente: *Ascendente Domino.* vnde deducitur illos testamenti factionem non habere, hæc enim est vsus causalis rerum vt propriarum iure dominij competens *l.* 32. *ibiq; gloss & Dd ff. de hæred. instit.* cuius Argumenti propositionem clarè adumbrat I. Ludouic. Molin. Societatis Theolog. *de iustit. &* 11.
iur. tract. 2. *disput.* 193. *pag.* 512. hoc tenore: *Scolares per tria illa vota simplicia publica ex Societatis instituto, Sedisq; Apostolicæ approbatione post duos probationis annos emissa, seipsos diuino obsequio reipsa mancipant, ac cum effectu ex parte sua sub Prælati regimine ad perpetuam Obedientiam, Paupertatem & Castitatem, non secus ac Professi sub reatu sacrilegij lethalis seruandam omninò tradunt, religant ac deuinciunt, Nec plus ipsis quàm professis manet deinceps integrum tria illa ex parte sua non seruare, neque per illos stat quo minus professionem statim emittant, &c.* II. Eandem corroborat in singulis Societatis membris Ioann Honor. ab Axel. *lib.* 3. *summ. in Decret. tit.* 31. *num.* 42. quando ait: *Sed &*

Scolares ipsi ac supradicti alij omnes, & quicunque qui in ipsam Societatem admissi biennio probationis à quolibet eorum exacto, tria vota substantialia, tametsi simplicia emiserint, verè ac propriè sunt religiosi, & ab omnibus censeri & nominari debent, Constit. Greg. 13. *Ascendente Domino. §. biennio. & §. etiam non modo.* Et habent in eis locum Canones de religiosis & eorum votis loquentes, Paupertas enim est necessaria ad statum perfectionis, & nō sufficit illa, per quam actu relinquimus omnia bona temporalia, sed oportet vt moueatur & cadat sub obligationem nunquam illa sibi quærendi D. Thom. 2.2. *quæst.* 186. *art.* 3. Nauarr. *de reddit. Eccles. quæst.* 1. *monit.* 7. *num.* 1.

ARGVMENTVM III.

12. TErtio, Scholares tenentur se à temporalium rerum dominio & cogitatione quantocyus expedire, ergo: Antecedēs probatur ex Ordin. Præpos. Gen. his verbis: *Constitutionum menti magis congruum est, & omnimoda paupertatis perfectioni magis conuenit, vt Scholares à rerum temporalium dominio & cogitatione quantocyus expediantur,* patet sequela. quia si res temporales per viam testamenti distribuantur, non expedimur ab earum dominio & cogitatione quantocyus, sed demum post mortem, quo tempore testamentum prius confirmatur, nec ante
13. testatorem dominio priuat. Ad hoc Argumentum ne verbo quidem respondet Aduersarius in sua Consultatioue, quid ita? fortè nihil quod scopo suo deseruiret in mentem incidebat, potuisset tamen respondere, testamentum quod à Scholaribus conficitur voluntate Superioris confirmari; Non rectè, con-
14. firmatio enim testamenti à voluntate tertij aut hæredis instituti dependere non potest, & concessa confirmatione Superioris vltima voluntas non confirmatut sola legis authoritate, confirmatur quoque eodem tempore quo fit, & retrotrahitur instar contractuum, & à contractibus vix & ne vix quidem distinguitur, quid? dolus alicuius posset ea ratione esse causa immediatæ acquisitionis alterius, quod in iure inauditum est. vid. Anton. Faber 15. *coniect.* 7.

Argu-

ARGVMENTVM IV.

TEstamentum quod propter factum hæredis instituti reuocare non est integrum, nullius est momenti nec vllum iuris operatur effectum Authore Baldo *conf.* 285 *lib.* 3. & Ripa. *in Tract. pest. tit. de priuil. vlt. volunt. n.* 10. vbi ideo autumant, testamentum factum ab eo qui erat in Castro, ad quod non erat accessus impediente Castri domino instituto, nullius ponderis esse, quoniam id mutari & reuocari non potuerit; At tale est quod Titius post vota essentialia & substantialia Religionis condidit; Ergo. Assumptio probatur, quoniam illius reuocatio ab arbitrio & voluntate Rectoris, vt passim & vbique in Consultatione fatetur R. P. Valentinus, dependet, quæ dependentia operatur conditionem casualem, quam Ant. Fab. *d.c.*7. docet esse priuationem puritatis, id est, quid efficiens, ne ea pendente quid fieri posse credatur: Adde cum difficile sit Superiorem institutione in Collegij fauorem facta, ex interuallo eiusdem erecti testamenti reuocationem consentiendo comprobare, esse per consequens impossibile per text. *in l. apud Iulianum* §. *fin. ff. de legat.* 1. Viglius *in comment. ad instit tit. quibus non est permiss. fac. testam*; Felin. *in c. accipimus. num.*5. *de fid. instrumen.* Iason *in d. l. apud Iulianum. ff. de legat.* 1. quod in terminis asseuerat Bald. *in d. l. apud Iulianum* §. *fin.* vbi docet, quod illud quod dependet à voluntate vnius intelligatur impossibile, quem sequuntur Imol. & Alex. *ibid.* si sermo sit de voluntate Superioris, vt equidem in nostro proposito est.

15.

16.

ARGVMENTVM V.

17. QVinto, Scholastici non retinent dominium particulare ad testamenti erectionem prorsus necessarium teste Horatio Mandos. *in tract. de priuileg. ad inst. gloss.* 11. *num.* 13. his verbis: *Adsunt quoque in eadem Societate quidam alij quos Scholares nuncupant, qui licet non sunt solenniter professi, nihilominus tria substantialia vota emittunt, nec à superiore citra incursum Apostasia*

postasiæ recedere possunt, licet Præpositus Generalis illos expellere valeat, Qui licet Scolares in particulari nihil poßideant, tamen eorum collegia in quibus ipsi ad discendas vel docendas litteras existũt, bona immobilia & annuos census pluraque alia in cõmuni retinẽt, sicut Carthusienses, qui in communi multa possident in particulari vero nihil habent; Idem elegantissimus Ictus repetit *gloss.* 11. *n.* 24. vbi sic habet. *Vltimo non obstat quod in eadem religione adsint Scolares, qui non videntur mendicantes, primo si supponamus ipsos ex priuilegijs Apostolicis in communi habere bona immobilia & redditus annuos, & in particulari nihil possidere, (quod forsan qui eorum Constitutiones & Confirmationes Apostolicas viderit, attentare posset, licet id mihi tutum* NB. *non videatur*) &c. Idem *gloss.* 2. *n.* 10. inquiens, *Societas est ordinis mendicantium, vt infra suo loco latè ostendam, at collegia retinent bona in communi, licet collegiales in particulari nihil possideant*: cum quo concordat Hieron. Gabriel. (qui tempore Gregorij XIII. vt ex ipsius epist. dedicatoria videre est, in viuis extitit) in *cons.* 28. *lib.* 1. vbi Scolares retinere dominium solummodo in communi, latissime comprobat: Tertio suffragatur Rodericius Soc. Ies. *tract* 3. *c.* 5. in hæc verba. *Ex supradictis ad nostrã vtilitatem discere possumus, nisi nos, puta qui Societatis membra sumus,* (quales sunt, Scolastici approbati, Coadiutores formati & Professi *Constit. Societ. p.* 5. *c.* 1.) *qui mundum & opes & facultates eius dimittimus, simul etiam omnem erga easdem affectum exuamus, spiritu pauperes non esse; hæc namque paupertas in eo consistit, vt non solum corpore & exterius cunctas mundi res missas faciamus, sed & voluntatem & affectum penitus ab ijsdem auellamus, atque hoc potissimum paupertatis spiritualis membrum est, vnde si adhuc quidam erga illas affectus in te viuit, nondum eas penitus & ex animo reliquisti, sed vna tecum in religionem adduxisti, cum in corde eas tuo adhuc infixas retineas, itaque non vere sed ficte & mendaciter es pauper, & consequenter non verus sed fictus & per speciem religiosus, cum corpore solum in religione sis, spiritu vero & animo verseris in mundo, ergo falsi religiosi nomen habes*. Ex quo loco hoc argumentum conficio,

cio; si demum veri religiosi sint, qui mundum & opes & facultates dimittunt, & omnem erga easdem affectum exuunt, si paupertas Societatis in eo consistat, vt cunctas res missas faciamus, profecto nemo Scolares, si sine iustissima causa dominium in particulari retinent, existimauerit verè Religiosos, affectum enim erga diuitias non exuunt, qui dominium non amittunt, & testamenta, maximè antecedentium reuocatoria, conficiunt, quibus spem hæredibus probabiliter competentem, non leui iniuria euertunt, quid? Titius cum, vt infra probabitur, irreuocabiliter in Caium bonorum suorum dominium transtulerit, affectum erga diuitias quem semel deseruit, reuocando testamentum ex post facto, vere vt asseritur religiosus, reassumpsit.

Quarto ad stabiliendā nostram sententiam prodit Martinus Nauarrus Doctor omni exceptione maior, qui ob summam iuris vtriusque sapientiam & mores integerrimos, laudatur à Couarr. *c.* 1. *de sponsal. n.* 18. Menoch. 2. *de arbitr. iud. cas.* 286. *n.* 36. Didac. *de matrim. p.* 2. *c.* 8. §. 5. *n.* 14. Pinell. *in tract. de bonis maternis in* 1. *p.* 3. *n.* 63. Is inquā Nauarrus in *tract. de reddit. Eccles. quæst.* 1. §. 59. hæc profert ad propositū accommodate, *Nullus qui votum paupertatis etiā perpetuum, etiam tantū simplex emisit potest iuste quærere vel sibi retinere vllum dominium bonorum temporalium, quia contrairet voto licet simplici, quod est peccatum mortale*; & subdit, *Nam quemadmodum qui vouit Castitatem, id est, renunciauit omnibus venereis promittendo se nunquam vsurum eis, contrauenit voto, habendo vel habere volendo rem carnis etiam maritalem, ita qui vouit votum paupertatis perpetuum etiam simplex, quod est renunciare omnibus bonis temporalibus promittendo Deo se nunquam quæsiturum neque habiturum illa sibi tanquam propria*, Hactenus Nauarrus, verbis tam proprijs vt de eius opinione dubitare nullus possit. 18.

Quinto adstipulatur Rodriquez *qq. regul. tom.* 1. *q.* 2277. *art.* 3. qui inter cætera ait, *Scolares non sunt proprie & in commutabiliter Religionis membra sicut sunt professi, qui dicuntur membra insepar:bi-*

C

parabilia, arg. eorum quæ tradit Aretin. quia illud est proprium & inseparabile membrum quod à suo corpore non separatur, vt probatur in iure, & tradunt Bellamera & Socinus, præterea si recte quis intueatur, ipsi Scolares, vt ex serie Constitutionum Societatis apparet, nihil possident in communi aut particulari.

Postremo accedit Romanus Haius in eleganti suo tract. *An monasteria sint extincta quæst.* 1. *n.* 79. *Quæ si ita sunt* (hæc sunt verba ipsius) *certum est quod spoliato aliquo Collegio Societatis, ipsis Scolaribus non competat vlla actio vel ius repetendi res ablatas, nisi ius illud generalissimum, quod quilibet è plebe habet in causis pijs aut Ecclesiasticis, quia non sunt proprie membra Societatis, sed nec ipsi spoliati fuerunt, cum secundum prædicta nihil in particulari vel communi possederint, qui autem nihil possidet, omnino non potest possessione spoliari l.* 83. *ff. de reg. iur.* ex quo tale sumo argumentum; Si Scolares haberent bona mobilia & pecunias, quæ subessent eorum dispositioni conscio & approbante Superiore, nec eas post ingressum abdicassent, & consequenter retinerent dominium in particulari, vt argutatur Aduersarius in Consult. *n.* 10. possent spoliato Collegio has tanquam domini instituta actione reali vindicare, sed consequens est absurdum, vt ex relata opinione haud obscurum est. Ergo.

ARGVMENTVM VI.

19. DAto, sed non concesso, quod Titius post emissa vota retineat dominium in particulari bonorum suorum, cum eorundem vsu sit perpetuo priuatus, hoc dominium erit inutile, & instar dominij Quiritarij imaginarium, cum vsus iam abdicatus nunquam possit cum dominio consolidari, quod in iure absurdum est.

Respondet Aduersar Titium non esse simpliciter priuatum vsu suorum bonorum, sed solum vsu independenti à voluntate Superiorum, quare annuentibus Superioribus potest vti rebus suis, & de illis disponere tanquam verus dominus; Addit, quod possit dari casus in quo iste vsus cum dominio consolidetur, si nempe Titius à Societate dimittatur. Sane

Sane miratus sum homini nec inepto nec vulgariter erudito, tam absurdam responsionem vnquam in mentem venire potuisse, haud enim incognitæ rationis est, propter vsum à voluntate alterius puta Superioris dependentem, non recte quempiam dici habere dominium cum vsu, quoniam taliusmodi vsus non est effectus dominij priuati & particularis, de quo hic cōtrouersia est, sed potius dominij in cōmuni, vt in aliis religiosis videre est, qui licet dominium in particulari non habent, vsum tamen nihilominus retinent à voluntate Abbatis dependentē; Quod annectitur de consolidatione possibili, si Titius à Societate dimittatur, itidem insubtile est, etenim cum illius liberæ voluntati non sit relicta dimissio, qui perpetuo se religioni deuinxit, quod casu improuiso ob voluntatem Superioris adeoque tertii contingere potest, non aspicitur, quoties enim præsens rei status non indicat contingentiam de futuro, non inspicitur tunc quod euenire potest *l. inter stipulantem §. sacram. & ibi.* Bart. *ff. de verb. oblig.* quo spectat illud Claudiani 20.

Omne futurum
Despicitur, suadentque magis præsentia fructum.

ARGVMENTVM. VII.

Titius per vota confirmauit testamentum in seculo factum quo ad vsum bonorum suorum, illo enim priuatus est perpetuo, Ergo quoad vsum mortuus est ciuiliter, & decessit quoad illum testatus; ex altera parte retinet dominium, & quoad dominium non est mortuus ciuiliter, ergo ratione dominij decessit intestatus, decedere autem ex parte testatum & intestatum abhorret à iuris regulis. 21.

In responsione Aduersarij ingens verborum abusus & omnino nihil sani est vt supra ostensum, nec verum est Titium quoad vsum dependentem ciuiliter viuere, quia pari ratione reliqui quoque monasticæ vitæ sectatores aliarum religionum, ob eundem vsum non morerentur, & consequenter post conditum ante solennem professionem testamentum, adhuc discederent 22.

quoad dictum vsum dependentem, donec naturaliter è viuis excedant, intestati, quo quid potest esse ieiunum magis?

ARGVMENTVM VIII.

23. TItius non potest post vota substantialia religionis Societatis etsi simplicia, testamentum componere, argumento à contrario sensu, quod deduco I. ex *c.4.§.1. Exam.* quo loci, dum notanter testandi facultas ante ingressum in Societatem Scolaribus impertitur, à contrario sensu post ingressum, illis eadem subtrahitur, quod quiuis mediocriter in iure versatus haud difficulter concesserit, si citra hanc subintellectam interpretationem, decisionem *d.§.1.* in sensu directo frustra esse & nihil sancire perpenderit, quis enim negare auderet tacentibus Constitutionibus, Scolaribus necdum Societatem ingressis, testamenti factionem? neque etiam possent, quod vltro concedit Aduersarius in *Consultat. n.* 61 ligare potestati Religiosæ necdum suppositos, quales illi sunt qui ingressum meditantur; quod vero argumentum à contrario sensu receptum sit in statutis & Constitutionibus, maxime si in sensu directo frustra sint & nihil operentur, docet Alex. *in l.1. n. 44. ff. de offic. eius cui mand.* Socin. *cons.23. n.7. vol.4.* Hieronim. Gabriel. *cons.5. n.13. lib.2.*

Secundo. Mandos. *in d. tract. de priuil. ad Inst. gloss.* 11. *n.* 13. plurima verba profundit de Nouitiorum & Scolarium Societatis dominio & iure disponendi, & tandem Nouitijs tantum testandi facultatem concedit, sine dubio per subauditum intellectum à contrario sensu defectum Scolarium indigitans; Sed hoc. III. eodem argumento clarius significat Tannerus *Societ. Ies.* ab Aduersarijs in actis sæpissime allegatus, affirmans Candidatum Societatis reuocare debere testamentum quod ante ingressum fecit, & nisi id faciat non esse ad Societatem admittendum, quo admisso indubitatum est, post ingressum in Societatem si antea nulla præcesserit, Scolaribus integram reuocationem non manere, quæ enim hoc supposito possit esse ratio, cur non admittatur Candidatus Societatis nisi reuocet

ante-

antequam ingrediatur testamentum ante factum, vix quispiam dixerit.

ARGVMENTVM IX.

NEmo potest testamentum tanquam actum pendentem à voluntate vnius Alex.*cons.* 38. *n.* 2. *lib.* 7. Cephal. *cons.* 702. *n.* 15 *lib.* 5. condere dependenter à voluntate alterius *l. illa institutio ff. de hæred. instit.* vbi inquit textus, testamentorum iura per se firma esse debere & non ab alieno arbitrio pendere, textus est in *l. ait Prætor.* 1 *& l. metum.* 9. §. *sed quod Prætor ff. quod met. caus.* gloss. & Dd. *in d. l.* 32. Dec. *in l. captatorias C. de mil. testam.* Bart. *in Auth. ingressi C. de SS. Ecclesi.* Alciat. 2. *parerg. c.* 31. Sermient. *lib.* 2. *select.* 4. *in princ.* Fachin. *lib.* 12. *controuers. iur. cap.* 20. *&* 25. Alex. *in l. nemo. n.* 3. *C. qui testam. fac poss.* Zas. Alex & alij *in l.* 43. *ff. de verb. obligat.* in quo à natura contractuum, qui in pendenti esse possunt, degenerat, 24.
Zas. *in d. l.* 43. vnde tametsi religioso contrahere & inter viuos 25.
disponere sine vitio proprietatis integrum sit, quia tamen ipsius arbitrium, vt ait S. Pontifex in *c. religiosi de election. in* 6. non ex sua, cum velle & nolle non habeat, sed ex illius quem vice Dei supra caput suum posuit, & cuius imperio se subiecit voluntate dependet, non etiam recte testatur, vt videre est apud Panormit. in *c. in præsentia n.* 61. *de probat.* vbi inquit, *Religiosus testamentum facere non potest, quia amplius non habet velle nec nolle, nec testamentum potest dependere à voluntate tertij, l. penult. cum ibi not. C. qui testam. fac. poss & per hoc tollitur si diceretur quod Abbatis consensu facere possit*; quod ipsum quoque opinatur Specul. *in tit. de stat. Monach. quæst.* 52. his verbis, *Nota quod Monachi & alij non habentes arbitrium propriæ voluntatis testari non possunt*; Alios eiusdem sententiæ, quam communiorem esse contendit Hieron. Cæuall *quæst.* 806. assertores, ne prolixus sim, non commemoro; Ab hac vero regula, si quis Scholares Societatis non impropriè, vel lato modo, vel ad instar, vel ex priuilegio, sed proprie, stricte, pariformiter, & iure quo

 qui

qui optimo religiosos excipiendos duxerit, hanc exceptionem suam iuris communis & vitæ hactenus inter religiosos receptæ derogatoriam, probare liquidissime debet, sed frustra quis ad illius probationem ius Societatis adduxerit, in quo de testamento conficiendo nullum reperitur verbum, nulla tippula; Quod
26. autem de dispositione in pios vsus adducit R. P. Valentinus, quasi generali dispositionis vocabulo complectatur quoque testamenti factio, id frigidissimum est, certe à mente S. Fundatoris & Pontificis alienum, quia non nisi de dispositione ab arbitrio Superioris dependenti vbique mentio fit, & nos supra per subauditum intellectum ex Constit. petitum contrariam sententiam perspicue stabiliuimus.

27. Sed nihilominus vrget D. Aduersarius, Scolares libere, id est, non ex Superioris arbitrio dependenter, sed proprio actiones suas exercere; in cuius examen non iam pluribus rationibus ex communi iure extractis, quas non nemo subtili commento ridere posset, digredior, sed authoritate Mandosij & textibus Constitutionum Societatis, quibus sine vlla contradictione deferendum est, contentus, ipsius opinationem refuto; Is ergo Mandosius in sæpe citato tract. *de priuil. ad inst. gloss.* 2 *n.*12. Scolares Societatis nec vocem nec consensum habere, adeoque omnem suorum bonorum curam & administrationem in Præpositum transtulisse perhibet, vt ille, ijs inuitis & minime vocatis tanquam nulli facto contradicere valentibus, de istis disponere posit; Ex Constitutionibus vero quod intendimus probatur. I. per ea quæ habentur *in part.* 3. *c.* 1. §. 23. his verbis, *non solum in executione externa eorum quæ iniungit* (puta Superior) *integre, prompte, fortiter & cum humilitate debita, sine excusationibus & obmurmurationibus obediant, licet difficilia & secundum sensualitatem repugnantia iubeat, verum etiam conentur interius resignationem & veram abnegationem propriæ* NB. *voluntatis & iudicij habere, voluntatem ac iudicium suum, cum eo quod Superior vult & sentit in omnibus omnino conformantes, proposita sibi voluntate ac iudicio Superioris pro regula suæ voluntatis ac iudicij*. II. Fortiter reprobatur sententia *ex part.* 4. *c.* 6. *in princ. Qui quidem Recto-*
rem

rem suum magnopere revereri debebunt, liberam sui ipsorum rerumque suarum dispositionem ipsi relinquendo, non repugnando, non contradicendo, nec vlla ratione iudicium proprium ipsius iudicio contrarium demonstrando. III. facit textus luce meridiana clarior *in part. 6. c. 1. in princ.* in hæc verba. *Obedientiam omnes plurimum obseruare & in ea excellere studeant, non solum in rebus obligatorijs, sed etiam in alijs, licet nihil aliud quam signum voluntatis Superioris sine vllo expresso pracepto videretur.* & infr. §. 1. *Quicquid nobis iniunctum fuerit obeundo, omnia iusta esse nobis persuadendo, omnem sententiam ac iudicium nostrum contrarium caca quadam obedientia abnegando, & id quidem in omnibus qua à Superioribus disponuntur, ac sibi quisque persuadeat, quod qui sub obedientia viuunt, se ferri ac regi à diuina prouidentia per Superiores suos sinere debent, perinde ac si cadauer essent quod quoquo versus ferri & quacumque ratione tractari se sinit, vel similiter atque senis baculus, qui vbicunque & quacunque in re velit eo vti, qui eum manu tenet, ei inseruit*; denique adduco text. *in part. 7. c. 2. lit. A.* qui factum ex obedientia opponit illi quod fit ex proprio arbitratu, item in *part. 6. c. 1. lit. C.* vbi docemur quod ob votum Obedientiæ eum qui obedit oporteat velle id ipsum quod vult qui iubet; *est enim* (hæc sunt verba textus) *imperfecta ea Obedientia, in qua prater executionem non est eiusdem voluntatis & sententia, inter eum qui iubet & qui obedit, consensio.*

Hactenus textus Constitutionum simplices & perspicui sunt, 28.
nec vlla interpretatione egent, & frustra quis contra illos subtiliter, si dijs placet, comminiscitur, Superioris arbitratu solum determinari tempus dispositionis non dispositionem ipsam, & habere alios ordinum militarium Religiosos Commendatarios in Hispania & Lusitania testandi facultatem, quamuis sub Obedientia constituti sint; Etenim si Scolastici propriam voluntatem & iudicium abnegant, si liberam sui rerumque suarum dispositionem Rectori relinquunt, si, vt loquitur S. Pontifex, nec velle nec nolle habent, extremæ profecto inscitiæ est ista obiectio; Accedit, quod actus etiam sponte factus ab eo qui

cogi

cogi poterat intelligatur coacte factus, non autem spontaneus; Vinç. de Franchis. *decis Neapol.* 200. *n.* 20. Riminald. Iun. *cons.* 129. *n.* 18. *lib.* 1. Bald. *in l. nouissime, per illam text ff quod fals. tut.* Zas. *in l.* 6. §. 6. *ff. quæ in fraud. credit*. Deinde si libera remaneret dispositio sub determinatione solum temporis à Superiore dependentis, nemo negare posset Scolares post vota substantialia retinere præter dominium vsum quoque rerum vt propriarum, nec enim sola temporis determinatio, si actus dispositionis sit liber, facit quempiam rebus suis vt alienis vti; De Religiosis Commendatarijs quod obijcitur nullius momenti est, quoniam hi, nec vere & proprie Religiosi sunt Abb. *in rubr. de Regul.* Sot. *lib.* 7. *q.* 5. *art.* 3. Graff. *lib.* 3. *de regul. cons.* 11. *n* 15. Ludou. Molin. *lib.* 1. *de Hispan. prog. c.* 13. *n.* 98. D. Mart *in tract. de Iurisd. p.* 4. *cent.* 4. *cas.* 113. *n.* 33. nec obedientiam vere & integre, sed solo nomine profitentur. Sot. & Graff. *loc. cit.*

19. Hic instat D. Aduersarius, etsi Scolares non quidem testamentum, saltem ex vi voti Obedientiæ possunt alias dispositiones facere de suis bonis, ergo retinent dominium in particulari. Resp. Negando consequentiam, quia quod dispositiones alias ab arbitrio Superioris dependentes facere possunt, non arguit retentionem dominij in particulari, sed potius in communi, per tradita ab Abb. *in cons.* 88. 1. *part. col.* 5. Cardin. Zabarell. *in c. cum ad monasterium de stat. Monach.* Graff. *lib.* 3. *Decret. cons.* 8. *p. tot. de Regul. & vol.* 2. *lib.* 3. *cons.* 1. *eod.* vnde retorqueo argumentum; Dispositiones tantum in pios vsus & dependenter à voluntate Superioris permissæ, arguunt tantum dominium in communi, sed tales sunt eorum qui vota simplicia substantialia Religionis in Societate emiserunt, ergo; Allegauit itaque hic Oppositor quod iure timere debebat à nobis sibi opponi, dignus reprehensione Ludou. Rom. & Alex. *in l.* 9. §. 4 *ff. de Iureiur.* qua olim Antonium Magnum exceperunt in hæc verba, *est vitium Aduocati & magna improuidentia, quando aliquis allegat id quod vehementer debebat formidare, ne ab Aduersario allegaretur.*

Consu-

CONFVTANTVR ARGVMENTA: EX IVRE SOCIETATIS

Licet omnia Argumenta ex Constitutionibus & iure Societatis deducta, quibus Aduersarius sibi persuadet demonstrari Titium post vota retinuisse bonorum suorũ dominium, cadant ex illo capite, quod textibus obscuris & ambiguis falciantur, teste Horat. Mandos. *de priuil. ad inst. gloss.* 11. §. 24. *Si præsupponamus* (inquit) *ipsos*, puta Scolares, *ex priuilegijs Apostolicis in communi habere bona immobilia & reditus annuos, & in particulari nihil possidere, Quod qui eorum Constitutiones & Confirmationes Apostolicas viderit attentare posset, licet id mihi tutum non videatur*, hæc ille; quia tamen ex omni parte lectori beneuolo satisfacere cupimus, etiam ad hæc singillatim respondebimus, præmissis tamen duobus præsuppositis: Primo, Candidatos Societatis, ante vel statim post emissionem votorum simplicium dominium quod in seculo habebant, abijcere, & in alios distributione vel renunciatione rerum temporalium transferre, decreto Constitutionum iuberi; qua distributione facta, incipiant deinceps habere dominium illud, quod habent personæ particulares, quæ sunt membra alicuius Religionis, quæ incapax non est bonorum in communi; Itaque non ea est nostra sententia, quasi votum Paupertatis vi sua, vt imponit nobis Aduersarius, vouentem dominio & proprietate exuat, neque enim tam inepta sententia si votum merè simplex, non substantiale & essentiale status verè Religiosi intelligas, vllius animum subire potuit, sed vbi traditio vera vel ficta votum antecesserit sine protestatione dominij reseruandi emissum, aut quomodolibet in continenti secuta fuerit, existimamus votum instar causæ aut tituli mediante dicta traditione transferre dominium; probatur sententia nostra in *Exam c.* 4. §. 1. vbi S. Fundator de distributione facienda bonorum loquitur in hæc verba: *Quicunque Societatem ingredi volent, antequam in domo aliqua vel Collegio viuere sub Obedientia incipiant, debent omnia bona temporalia quæ habuerunt distribuere & renunciare, & disponere*

de ijs quæ ipsis obuenire possent; quo in loco iudico obseruandam
dictionem vniuersalem, *quicunque*, & sequentes, *sub Obedientia*
(quas Aduersarius eundem textum adducēs *n*. 18. consultò sub-
ticuit) item, verbum, *debent*, quod necessitatem significat gloss.
in l. sæpe audiui ff. de offic. Præsid. Bart. *in l. creditores C. de pignor.*
quibus significatur, ab omnibus, antequam vota substantialia
simplicia emittant, bona temporalia omnino abdicanda esse;
31. Secundo adduco verba Ordin. Præpos. Gen. Societ. Ies. aureis
scribenda litteris; *Ipsarum Constitutionum menti magis congruum
est, & omnimodæ Paupertatis perfectioni magis conuenit, vt nostri
à temporalium rerum dominio & cogitatione, nisi iustissimæ dila-
tionis causæ intercedant, quantocyus expediantur*, dictio *quantocyus*
indicat quid in continenti fieri, id est, intra vnum diem, & an-
tequam ad extraneos diuertamur actus.
32. Præsupponimus secundò, iamdicta de abdicando in conti-
nenti dominio, dispensatiuè non obtinere iuxta Constitutio-
nes & Confirmationes Apostolicas, si iustæ, vel iustissimæ dila-
tionis causæ pro rerum causarumque diuersitate occurrant,
mutatis enim causis Constitutionum & rationibus introdu-
ctionis cessantibus, si nihilominus obseruentur illæ, iniuria fit
subditis, quæ propositio probatur ex *Exam. c. 4. §. 1.* vbi hæc ha-
bentur, *Quod si statim propter aliquas honestas causas* NB. *bona non
relinquet, promittat se promptè relicturum omnia post vnum ab in-
gressu absolutum annum, quandocunque per Superiorem iniunctum
ei fuerit, in reliquo tempore probationis, quo completo ante pro-
fessionem professi & ante tria vota publica Coadiutores reipsa re-
linquere ac pauperibus dispensare debent*, cui addatur textus ex
Ordin. Præpos. Gen. supra citatus, & duo alij in Constitu-
tionibus duabus Gregorij XIII. *Pontificis Maximi*, primus est ex
Constitutione quæ incipit, *Quanto fructuosius*, alter ex alia
33. incipiente, *Ascendente Domino*; quorum in iure constans est
ratio, quia dispensatio dominium post vota substantialia re-
tinendi, permissa est demum quando adesset aliqua vrgen-
tissima necessitas, vt dicit Nauarr. *in summ. c. 12. n. 75.* cum
cau-

causa D.Mart. *4.de iurisd.64. n.15.* & ex iusta & magna causa & Deo placente Anchar.*in c.cum ad monasteriū, n.24. de stat.Monach.& ibi* Henric.Boic.*col. 2. in fin.* quia illa cessante non permitteretur hoc fieri, cum non esset dispensatio Card.*in d. c. cum ad monast.col.pen. ad med.post.D.Bernard.3. de considerat. n.* 23. & maximam causam & necessariam quæ vix potest accidere, dicit Cordub.*q.24.in fin.l.*1.& vrgentem ac maximam & grauem debere esse dicit Socin.*consl.92. col.3.ad med.lib.*1. Henric. *in summa lib.*11.*c.8. n.*11. Felin. *in c.si quando. n 5.ad fin.de rescript.* & iustam & magnam causam debere adesse dicit sæpedictus Nauarr. *cons.2.n. 3. de conuers. coniug.* vbi loquitur etiam de militib. Hierosolymitanis, in quibus eandem quam in Religiosis non militaribus causam requirit post vota dispensatiuè retinendi dominium, à quo Aduersarius in Actis *fol.*146. remotissimè abit, existimans dictos milites stando in iure communi, & vi voti testamenta condere tanquam dominium bonorū regulariter retinentes, sed alia est authoritas Nauarri, alia D. Opponentis: 34.
nec hic ad differentiam inter vota solennia & simplicia Societatis recurrendū quis existimet, quia necessitas & iustitia causæ in dispensatione requiritur, nō tam ob votorū solennitatē, quæ Aduersario est iuris positiui Ecclesiastici, quā quòd ea sint iuris diuini, cōtra quod sine iusta causa omnis dispensatio est periculosa, Steph. Gratian. *discep.forens.c.*457.Couar. *in c.2. n.* 18. *de test.*Dom.Sotus *lib.*8 *de iust.& iur.q.4.art.*2.D.Marta 4 *de iurisd.* 64.quod confirmat Nauarr. *cit. in loc.*dum vrgentissimam contra vota dispensandi causam exigit, insuper habita inter solennia & simplicia essentialia religionis hac in parte, quacunq; differentia, quem sequitur D.Mart. *d.cas.*64. vbi in eadem materia dispensationis accedente iustissima causa à voto simplici argumentatur ad solenne; Sed is fortè qui attentis Constitutionibus S.Pontificis ne illæ omnino, quantum ad retentionem dominij contra vota substantialia Societatis attinet, de nihilo sint, non æquè vrgentes ac magnas causas in ea, cuiusmodi in alijs religiosis Ordinibus desideret, non errauerit, arg. eorum quæ tradit

 Ste-

Stephan. Gratian. *d.c.* 457. *n.* 36. Nunc ad obiectorum ex iure Societatis confutationem veniamus.

35. Occurrit (inquit Aduersarius) textus clarissimus ex *p.* 6. *c.* 2. quod totum de ijs est quæ ad Paupertatem pertinent, vbi cum S. Fundator §. 11. dixisset, *vt nihil proprium domi teneri ita nec foris apud alios potest, & quisque ijs quæ de communi data fuerint ad vsum suum necessarium & conuenientem, resecatis superfluis sit contentus*, addit, quæ sequuntur *lit. H. Intelligendum est hoc absolutè de professis & Coadiutoribus formatis: Cæterum in Scolaribus qui tempus probationis nondum expleuerunt, hoc intelligi debet de rebus ijs quæ in præsentia subsint eorum dispositioni, nihil enim horum habere debent, nisi conscio & approbante Superiore, neque vero sermo est de bonis quæ forte procul inde illi habent de domibus scilicet vel rebus alijs, sed quod ad hæc attinet parati etiam esse debebunt vt illis se abdicent quandocunque Superiori videretur, vt in Examine dictum est*; ex hoc textu tale prosilit argumentum, Scolasticus Societatis qualis est Titius, potest retinere bona quæ secum habet, id est, mobilia & quæ habet procul, vt sunt domus, & illis bonis licet vota emiserit non se abdicauerit, sed tantum tenetur se abdicare quandocunque Superiori videbitur, Ergo Scolasticus post emissa vota simplicia adhuc retinet dominium bonorum suorum.

36. Resp. Adductum textum intelligendum ex prænotatis non absolutè, sed in altero casu quo iustissimæ dilationis causæ, cur non statim vel incontinenti à Scolaribus dominium abdicetur, intercedunt, qui sensus haud obscurè liquere potest, ex subiecta textus clausula, *vt in Examine dictum est*, quæ ad contenta Examinis *c.* 4. dispositionem referens, eidem limitationem & temperamentum adiicit. Dec. *cons.* 63. *n.* 6. Ben. Straccha. *in tract. de mercat. tit. de mandat. n.* 13.

II Producit textum ex *part.* 3. *c.* 4. quod est de Scolasticis admissis conseruandis *lit.* E. vbi cum S. Pater dixisset Scolasticum debere statim obseruare Castitatem, Paupertatem & Obedientiam actu iuxta Societatis consuetudinem, hæc verba subdit.

Hæc

Hac consuetudo facit, vt quamuis Paupertatis votum sit emissum bona tamen temporalia haberi possint, ad certum vsque tempus quod Superiori intra probationis spatium videbitur; ex quibus verbis sic argumentatur, Scolasticus post votum Paupertatis bona habere potest, Ergo retinere illorum dominium, Ergo per votum illud non amisit.

Resp. Allegato in loco Scolares retinere dominium suppletiuè, scilicet intercedentibus iustissimis causis, in iure enim verba per suppletionem sæpissime accipiuntur gloss. *in l. 1. ff. qui potior. in pignor. & in l. 1. ff. de Curat. furios.* Zas. *in l. 2. ff. de origin iur. & in l. 38. in princ. n 3. ff. de verb. oblig.* & lex generaliter absque vllo causarum discrimine rem determinans, restringenda venit ex alia lege idem pronunciatum ad certas personas & causas nominatim & expresse restringente Cardin. Tusch. *concl. 259. n. 1. tom. 5.* Sichard. *ad Auth. offeratur n. 26. C. de lit. cont. Decian. resp. 65. n. 26. vol. 4.* Accedit, quod nisi citatum textum de Scolaribus qui iustis de causis bonorum suorum ius retineant, interpretemur, contradictionem aliorum textuum haud euadamus, quibus iubentur, *statim, quantocyus, ante ingressum.* &c. omnia quæ habent dispensare, lex autem ita ex alia interpretanda est, vt quantum fieri possit legis alterius correctio euitetur, & textus cum textu concordetur *l. 35. in princ. C. de inoff testam.* 37.

Sed opponit Aduersarius, Quod dominium Scolares abdicant, non potest esse dominium in communi, nam hoc demum priuantur per vota solennia si fiant professi, vel vota publica si Coadiutores formati. 38.

Resp. Hoc displicere Rodriq. *qq. regul. tom. 1. quæst. 27. art. 3.* & Roman. Hayo *in suo tract. An monast. sint extinct. q. 1 n. 79.* qui dum negant Scolares habere dominium & possessionem in communi, haud dubie existimant dominium in communi, si quod habuerunt abdicasse ante vota publica aut professorum, quod etiam intendit, si recte percipiatur, Hieron. Gabriel. *in d. cons. 28. in fin.*

39. III. Textum ex *part*. 3. §. 7. non alio quàm prædixi modo suppletiuè interpretandum etiam iurauerim, nec hic prolixissima verba Aduersarij quicquam moror, qui frustra disputat cessante præsupposito, & haud scio an admiratione dignus sit, dum casum Constitutionum in proposito nostro contigisse perhibet, & in illo exponendo frustra operam ponit, quem nos inficiamur, vt ex infra dicendis patebit dilucidius.

40. IV. Argumentum adductum ex *Exam. cap*. 4. §. 1. *&* 2. sententiam nostram confirmat, & è contra illam Aduersarij impugnat, quia eo loci oportet Scolares antequam in domo aliqua, vel collegio sub obedientia viuere incipiant, id est, ante vel statim post emissa vota, vt est in §. 2 bona temporalia abdicare, nisi iustas dilationis causas intercedere arbitretur Superior, quod nos in præcedentibus ad corroborandam nostrã opinionem diligenter obseruandum monuimus.

Sed nec hic possumus non mirari Aduersarij argumentum ex textu citato huiusmodi, Qui ante ingressum in Societatem bona sua pauperibus non distribuerunt, tenentur distribuere quandocunque Superiori videbitur &c. nullam mentionem faciens præsuppositi, scilicet *honestarum causarum* de quibus in textu, quasi non his demum intercedentibus, sed quandolibet dominium retinere fas sit.

V. & postremo extensè descripti textus ex ratione sæpissi-
41. me allegata aduersus sententiam nostram imbelles sunt, etenim non negamus Scolasticis retentionem dominij bonorum secularium & spiritualium, vt sæpius inculcatum est, dummodo iustissimæ retentionis causæ occurrant, quibus deficientibus, contendimus non iniuria periculosam esse sæpedictam dominij retentionem, & textibus Constit. contrarietatem irreconciliabilem inesse, quæ cauenda est, aut ad minus obscuritatem quæ Aduersarium probando non releuat. Ex istis porro omni-
42. bus nemini obscurum aut dubium esse potest. I. Posse vnumquemque ante ingressum in Nouitiatum Societ. res temporales in alios erogare, & per viam testamenti & dispensatione

alia

alia quauis inter viuos *part.* 3. *c.* 1. *lit. G.* vtroque tamen modo irrecuperabiliter *Exam c.*4. §.1.2. *supr. arg.* 1. II. Posse Nouitium intra biennium probationis eodem modo res suas dimittere *arg.Const p.*3 *c.*1. *lit.T. part* 5. *c.* 4. §. *vlt. iunct. c.* 4. §. 1. *Exam.* III. Debere dimittere *ante, vel statim, quantocyus, in continenti* post votorum simplicium substantialium emissionem absoluto Nouitiatus biennio *d. c.* 4. §. 1. *&* §. 2. *Ord. præpos. General. Soc. Ies.* distribuendo inter pauperes iuxta Euangelicum consilium *d.c.*4. §. 1. quamuis si in Societatem, nec R. P. Valentinus, si in alios puta consanguineos bona temporalia contulerit, nec ego peccatum esse clamauero, de illo enim textus habetur in *part.* 3. *c.* 1. §. 9. nec Constitutiones ad peccatum obligant *p.* 6. *c.*5. & est alias clausula de distribuendis in pauperes bonis non necessitatis sed consilij, vt supra probauimus. IV. Posse Scolares ad tempus etiam post emissa vota retinere dominium bonorum temporalium (nisi tamen ante ingressum, aut vi voti tanquam causæ vel tituli alio ex præcedente inualido titulo possidente abdicauerint, retinere enim est hoc quod habemus tenere, vt omnino subtiliter Aduersarius) non omnes & singulos, nec semper, sed aliquos, & tunc demum si honestæ, vt vult *Exam. c* 4. § 2. vel iustæ, vt vtraq; Constitutio Pontificis Gregorij XIII. vel iustissimæ, vt *in Ordin. Præpos. Gener.* habetur, dilationis retentionisque causæ intercesserint, de quo vix dubium, nam iustas ob causas Superiori in hac Societate (in alia vero religione secus est) dispensare licet, non etiam ex libera voluntate arg. eorum quæ tradit Menoch. *de arbitr. Iud.* 2. *cas.* 504. V. Dimisso post vota dominio actiuo in particulari, retinere Scolares dominium in communi, & passiuum in particulari, illud, donec ad vota Coadiutorum vel Professorum admittantur, tametsi Rodriq. & Haius *supra citati* desuper controuersiam suscitent, quibus applaudit Hier. Gabriel. *in d. cons.* 28. *lib.*1. hoc, donec è Societate dimittantur.

CON-

CONFVTANTVR ARGVMENTA
EX IVRE PONTIFICIO.

44 EXplicauimus Constitutiones Societatis, ni fallor, non infæliciter, & quod D. Opponens in genere de quibuscunque Scolaribus prolixè probare nisus est, nos in nonnullis ex causis iustissimis obtinere ostendimus, non temerè, sed textu & ratione adiuti; frustra autem nunc ad Confirmationes! Summorum Pontificum Pauli III. Iulij III. Pauli IV. Pij V. Gregorij XIV. & Pauli V. magno persuadendi animo confugit; quia confirmationis ea est natura, vt confirmato tantum robur addat & firmitatem, non vero extendat ad non expressa in confirmato, vt præclare scribit Bald. *in l. aduersus n.* 3. *C. si aduers. rem. iudic.* Alex. *cons.* 122 *n.*21. *vol.*6. neque enim in causato plus esse debet quam in ipsa causa. *c. cum dilecta. de confirm. vtil. vel inutil.* sed vbi causa non est efficax neque causatum efficax erit. Bart. *in l. cum quis decedens ff de legat.* 3. Verùm adducuntur hic duo textus ex Constit. Gregorij XIII. ad probandum quod ille contẽdit, vt quidem existimat, clarissimi; Primus est ex Constit. quæ incipit. *Quantofructuosius*, his verbis: *Quod vero ad Paupertatem attinet, quamuis bonorum suorum ius & dominium iustas ob causas pro Superiorum arbitratu ad tempus retinere valeant, vt in pios vsus iuxta Euangelicum consilium distribuant, in illorum tamen vsu religiosam paupertatem seruant, nec vlla re tanquam propria & sine Superioris facultate vti possunt*. Secundus textus habetur in Constit. quæ incipit: *Ascendente Domino*, verba ipsius sunt *Licet qui ad gradus Professorum & Coadiutorum formatorum nondum peruenerunt, bonorum suorum ius atque dominium tum alias ob iustas causas, tum etiam vt maiorem Societas habeat libertatem illos si opus fuerit cum minori offensione dimittendi, ad tempus Generalis Præpositi iudicio præscribendum valeant retinere, vt in pauperes tandem seu alios pios vsus, pro ipsorum deuotione, distribuant, iuxta Euangelicum Consilium ac promissionem, quam initio Nouitiatus faciunt, interim tamen quantum ad illorum vsum religiosam paupertatem seruant, nec vlla re tanquam propriâ & sine*

Supe-

Superioris facultate vti possunt. Ex quibus textibus desumuntur hæ probationes.

I. Agitur de dominio bonorum, quæ Scolares debent in 45.
pios vsus erogare, erogare autem non possunt bona quorum habent dominium in communi, ergo. Atquin Religiosi dominio in particulari priuati, sæpenumero erogant bona in pios vsus, vide Graff. *decis. aur. cas. consc. lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 41. ergo falsa est assumptio; deinde Scolares dominio in communi, quod habent, antequam fiant professi per vota solennia, vel coadiutores per vota publica, exuuntur. Rodriq. & Haius *supra citati.* ergo: Adde adstipulatorem Hieron. Gabriel *in sæpedicto consil.* 28.

II. Dominium de quo agit S. Pontifex est illud quod retinetur
ad tempus Generalis arbitrio præscribendum, qui solet iniun- 46.
gere Scolaribus illius abdicationem ferè post quatuor annos ab ingressu, ergo est dominium in particulari & non in communi; Atquin falsissima est hæc si præallegatis authoribus credendum, confirmatio, falsissima itidem nisi iustissimas dilationis causas intercedere fingas, suppositio est. quod enim certa conditione permittitur vt in adductis Constit. Pontificis id non simpliciter permittitur, siquidem vulgatum est, ea quæ iustas ob causas conceduntur catenus obtinere quatenus vrgent iustæ causæ *l. senatusconsultum ff. de offic. præsid.* Bart. *in l.* 1. §. *fin. de fer.* Tiraq. *in regul. cessante causa*, & causam dispositionis limitare dispositionem ipsam *l. illis libertis ff. de condit. & demonstr.*

III. Inquit, in Constitutionibus est sermo de dominio bonorum quod adhuc Scolares retinent, vt si dimittantur à Societate, dimittantur cum maiori libertate & minori offensione, quoniam votis soluti statim recuperant liberum vsum bonorum suorum, quorum dominium non amiserunt per vota, at si retinent solum dominium passiuum non facile recuperabunt sua bona, nec poterunt dimitti sine magna offensione, quia in istis bonis, vt nos sentimus, est iam acquisitum ius tertio.

Contra. Cum à Scolaribus iustissimis dilationis causis inci- 47.

dentibus post tres vel quatuor ab ingressu annos, res temporales abdicandæ & inter pauperes iuxta Euangelicum consilium distribuendæ sint, distributione verò hac facta, adhuc per plures annos remaneant in gradu Scolarium, nec promoueantur ad gradum Professorum aut Coadiutorum formatorum, nisi post absoluta studia quæ in Societate requirunt fere septem annos, & post doctionem litterarum humaniorum per quatuor vel quinque annos, & post vnum annum tertiæ probationis, quęro ab Aduersario, an si interim dimittantur, bona sua in pauperes translata recuperent? an non cum magna offensione dimittantur? quod negari non potest; Ergo vt ratio in Constitutionibus Pontif. expressa secundum sensum oppositum procedat, necesse est vt quousque in gradu Scolasticorum Candidati Societatis existant, dominium bonorum temporalium nunquam abijciant, quod & naturæ votorum & constitutionibus Societatis oppidò aduersatur.

Instat Aduersarius, Si Scolares retineant dominium passi-
48. uum, ergo vota religiosa non erunt in omnibus Religionibus æqualia, & poterit esse vnum laxius alio; sed velim animaduertat, nihilominus vota esse æqualia nec vnum laxius altero ex parte vouentis, ex cuius intentione æstimari debent, licet attenta Superioris facultate videri posśint inæqualia & laxiora; vnde tametsi Prępositus Generalis iuxta Constitutiones & Confirmationes Apostolicas Titium liberè dimittere & in eum statum in quo iterum dominij capax fiat, reducerre posśit, ipse tamen quantum in se est perpetuo religioni deuinctus & obligatus manet, vt pulchre docet Bonacin. *disp. 3. de largit. mun. punct. 2 n. 7.* cuius verba ascribimus, *Vota essentialia Societatis instar contractus claudicantis aliter se habent ex parte recipientis, aliter quoque intuitu eius qui emittit*; mox adducit hanc similitudinem: Quemadmodum seruus potest seipsum alteri in perpetuum vendere, domino ipsius traditionem acceptante, in quo casu seruus est domino perpetuo obligatus, licet domino liberum sit illum manumittere & libertatem ei concedere; pari modo

modo poteſt Scolaſticus ſe religioni ſolenniter tradere & omnino obligare, relicta tamen religioni facultate eũ dimittendi.

IV. Frigido colore vtitur perpendendo verba, *dominium valeant retinere*, frequentiſsimum enim eſt legumlatoribus verbis abuti, vt videre eſt in *l.* 5. *C. de reſcind. vendit.* vbi contractus ipſo iure nullus reſcinditur, *in l. vlt. ff. de itin. actuque priuat.* ſeruitutes dicuntur poſsideri, *in l.* 6. §. *fin. ff. de ſeparat.* adeundo hæreditatem vel petendo bonorum poſſeſſionem dicitur hæres contrahere cum legatarijs, quod impropriè accipi debet, quia eſt quaſi contractus Zaſ. *ibid.* ita quoque nomen, *Mulier* ſumitur interdum pro virgine, vt in Euangelio Ioannis, *Mulier ecce filius tuus l. ſeruus. ff. de legat.* 2. & ſexcenta talia paſsim ſunt obuia; prætereà conſiderat illud, *dominium ſuorum*, quaſi dominium in communi ineptè dicatur dominium bonorum ſuorum; Non rectè, quia res dicitur ſua, in qua quis dominium habet in communi Aret. *in l. ſerui electionem.* §. 1. *de legat.* 1. vel minimum ius, Gloſſ. *in l.* 1. *ad princ. ff. de regul. iur.* imo etiam nihil iuris textus eſt *in l. is qui ſuis. ff. de manum.* Sed nolo plura hac de re verba fundere. 49.

50.

CONFVTATVR ARGVMENTVM
EX OBSERVANTIA SVBSECVTA.

ENodemus vna reſponſione breuiter quod de obſeruantia perpetua & conſuetudine ferè centenaria adducit D. Opponens, qua ab initijs ipſius naſcentis Societatis vſque in hanc diem in Collegijs toto Orbe diſperſis, obſeruatum perpetuo eſt, vt Scolares Societatis retinuerint dominium bonorũ ſuorum tam ſecularium quam Eccleſiaſticorũ, quæ conſuetudo (inquit) Conſtitutiones ſi dubiæ eſſent vel obſcuræ, de dominio particulari & actiuo interpretaretur, tanquam optima legum interpres *l. ſi de interpretatione cum ſeq. ff. de legib.* 51.

Reſp. Si dicta conſuetudo & obſeruantia hæc eſt, vt iuſtis de cauſis ſolum dominium particulare retineatur, eſt ſecundum Conſtitutiones nec rectè dicitur earum interpres, quæ hac in parte claræ & perſpicuæ ſunt, Bartolus. & alij *in l.* 32. *ff.* 52.

 de

de LL. Si vt indiſtinctè reſeruetur, aut vt ad teſtamenti factionẽ expeditum, eſt contra dictas Conſtitutiones, id eſt, contra eſſentialia & ſubſtantialia vota Religionis, ideoque dubia & fortè
53. non ſine animæ periculo; audiatur hic Iacob. Kellerus in Cauea Turturis *c.* 41. *Societas viget & floret ſtatque in prima Regula Fundatoris Ignatij, nihil de priſtino rigore liniuit, nihil noua laxitatis admiſit, Conſtitutiones q; accurrate ſeruantur, omnes in vſu ſunt, contra nullã impunè delinquitur, paupertas etiam reddita eſt aſtrictior*; cuius ſententia quod penè ſcatet verbis tot contra praxin vota Deo facta laxandi argumentis; & ſane ſi dominium Scolares non abdicent, quam primũ & in continenti plurimi Conſtitutionũ textus fruſtra ſunt & inutiles, ſi ſine iuſtis cauſis peccatur mortaliter Nauarr. *de reddit. Eccleſ. q.* 1. §. 59. *n.* 100. quoniam vota quanto citius non implentur & Deo minus quam debetur redditur, vt enim qui cito dat bis dare creditur ita qui tardè dat minus dediſſe reputatur *l. ſi cui ex empto. ff. de verb. ſignif.* quare praxis huiuſmodi & obſeruantia non eſt per Superiorem toleranda, qui debet ſubditos ab illicitis prohibere, quod ſi non facit illorum culpæ ſe inuoluit *c. ita plane.* 13. *q.* 4. *c. præcipuè.* 11. *q* 3 Ioan. Calder. *de conſuet.* Graff *conſ.* 8. *n.* 9. *tom.* 1. *de Regul.* quo pertinet vulgatus ille verſiculus:

Tempus longæuum te non excuſat in æuum
Cum male ſis vſus, quia non præſcribit abuſus.

54. Forte nonnemo non inepte hanc conſuetudinem & inueteratos mores, quaſi Conſtitutionibus Societ. conformes eſſent, in venerabili Societate vſurpatos putauerit, ob errorem vero in cauſa finali expreſſum nihil eſſe faciendos, imo caſſandos, per ea quæ docet Zaſ. *in d. l.* 32. quis enim dubitet impoſterum Conſtitutiones non permittere dominij retentionem niſi iuſtis de cauſis? ſed ego hanc litem non faciam meam.

55. Vnum etiam hic vehementer miramur, quod cum opponens in ſua Conſultatione *n.* 16. moris eſſe hodierni teſtetur, vt in Societate poſt tres vel quatuor annos ab ingreſſu Scolaſtici dominium abdicẽt, quamuis (vt hoc obiter moneam) in *Exam. c.* 4.

§. 2.

§. 2. abdicatio illa vltra anni spatium non prorogetur, cur se post elapsum annum sextum ab ingressu de bonis suis de Superiorum consensu disposuisse, eamque dispositionem ob omissas solennitates ratificasse Perusiæ post quinque annos non diffiteatur, causas dilationis tam diuturnæ nullas commemorans; sed nec de qua dispositione loquatur satis percipio, quæ enim adhibito alterius consensu perficitur testamentum non est, vt millies dictum.

CONFVTANTVR ARGVMENTA EX IVRE COMMVNI.

IN illis, quæ ex iure Communi adferuntur à nostra disceptatione remotissimis, non diffundimur, & de potestate S. Pontificis disputare nec mens est, nec patitur religio, id vero perhibuisse nos, Scolaribus Societatis permissum non esse indistincte absque causis iustissimis pro arbitrio dominium particulare & actiuum retinere nedum diffitemur, fulti tum rationibus & Constitutionum textibus, tum approbatis & in rebus Societatis versatissimis Doctoribus, iuxta illud Ciceronis in Orat. pro Aul. Cæcilio, *& in eam rem non solum Scæuola rationes adferebat, sed etiam Quinto Socero suo, multisque peritissimis hominibus oratoribus vtebatur.* In principio suorum allegatorum probatum dicit Opponens, testamentum in seculo factum à Titio confirmatum non esse, nec dominium in Caium transmissum, sed id nimis confidenter, hactenus enim illius nulla ratio nisi forte à dominio sed insufficienter petita, à me in tota sua consultatione inuenta est, nec erat igitur cur tantopere sibi gratularetur, quasi incertis probationibus fidem habeamus, qui nō tam molles sumus aut meticulosi vt inanibus terriculis moueamur; sed aggrediamur primum Argumentum, quo probare satagit de essentia & substantia voti non esse priuare illico vouentem dominio bonorum temporalium quæ habebat, quod huiusmodi est, Votum est quædam lex priuata quam vouens sibi ipsi indicit, atqui nemo potest ita legem sibi indicere quin eam reuoca-

56.

57.

re possit *l. si quis ff. de legat.* 3. ergo nemo potest priuata voluntate per votum aufferre à se capacitatem iuris & dominij; Habeo Argumentum prorsus argutum & subtile, sed illi moueo hanc obiectionem, Contractus ex conuentione legem habent, *iuribus notis*, ergo impunè contemni & non obseruari possunt, quia nemo potest sibi legem indicere quin eam reuocare possit.

Addo, Obligatio Deo quæsita non eo nexu constringit vouentem quo obligatio comparata hominibus, *addo* votum ex parte vouentis perpetuum, Deo reddendum, nihilominus ex voluntate ipsius dependenter reuocabile est, quæ omnia ex Aduersarij argutatione, absurdissima inferuntur; At hic subsisto, planius enim mentem suam explicat, hoc modo: Si vouens paupertatem vouendo auffert à se dominium & capacitatem, est quia non vult esse capax, at potest reuocare & mutare hanc voluntatem, ergo potest recuperare illud dominium & capacitatem;
58. *Ad Quod Resp.* sub distinctione, Potest reuocare & mutare hanc voluntatem si alius sit in detentione aut possessione rerum vouentis quouis titulo negatur, Si possessio apud vouentem permanserit, transeat; ratio distinctionis est illa, quia ex quo vouẽs dominij capax esse nõ vult detentator mutat sibi titulum suæ possessionis lege permittente, eodem effectu quo vouens pro voti sui implemento bona à se in illum abdicando dominium transtulisset, audiatur textus ad hanc rem elegantissimus *in §. 44. Inst. de rer. diuers. Interdum etiam sine traditione nuda voluntas domini sufficit ad rem transferendam, veluti si rem quam tibi aliquis commodauerit, aut locauerit, aut apud te deposuerit*, adde, aut alio quocunque modo esse permiserit, *postea autem vendiderit tibi, aut donauerit, aut dotis nomine dederit*, aut animum repetendi deposuerit, *quamuis enim ex ea causa tibi non tradiderit, eo tamen ipso quod patitur tuam esse, statim tibi acquiritur proprietas, perinde ac si eo nomine tibi tradita fuisset*; Iam vero quis re alteri post emissum paupertatis votum tradita dominium nondum acquisitum citra absurdum iuris dixerit? quis dominium semel abdicatum alterius, puta vouentis voluntate reuocabile

esse

esse contenderit: maxime sub conditione restitutionis tanquam facti incertæ, neminem ad præcisam retrotraditionem impellente: si vero vouens merè simpliciter possessionem non dimittendo solum incapacitatem dominij affectet, forte fide dignior est Aduersarij sententia, posse reuocare vouentem pristinam voluntatem, quamuis in eo rursus labi videatur, quod affirmat, hoc casu recuperari dominium, quomodo enim non amissa recuperentur, non video; scilicet ita iuris est, vt sola voluntate & ex animi mera destinatione dominium non amittatur, textus est *in l. si quis vi. §. 1 ff. de acq. vel amit. possess.* quia traditionibus non pactis aut pollicitationibus dominia transferuntur, quapropter qui merè simpliciter paupertatem vouet quam diu possessionem rerum temporalium non dimittit dominium retinet, at vbi vouentium more nihil habere volendo possessionem traditione quauis vera vel ficta ad alios transfert, iam priuatur dominio deinceps sine peccato mortali & possidentis summa iniuria non reuocabili; Deducamus ex his quæ fusè iam prosecuti sumus, postremum pro nostra opinatione, animaduersione dignissimum Argumentum. 59. 60.

ARGVMENTVM X.

Titius Scolasticus emittendo vota, tametsi mere simplicia (citra tamen veritatis præiudicium) purè & simpliciter sine protestatione reseruandi dominij, Caium fratrem germanum, hæredem in testamento ante ingressum Societatis condito institutum, & possessorem, fecit sibi optimo iure mutare titulum possessionis, vt qui hactenus nomine Titij familiaritatis causa detinebat, nunc suo nomine & animo domini possidere inceperit, modo haud dissimili, quo is Titius post vota simplicia pro eorundem implemēto in d. Caium vera traditione dominium irreuocabiliter transtulisset. Ergo d. Caio quod acquisiuit sine mortali peccato & summa iniuria aufferri non potest, anteced. & consequentia constant ex prædictis, Pro maiori huius Argumenti confirmatione accedit intentio Titij propria confessione 61. 62.

fesſione Caio hæredi diuerſis litteris (quas in gratiam lectoris huic ſcripto adiunximus) detecta, profecto iſtius enixæ voluntatis, vt is mutato ſibi poſſeſſionis titulo res temporales iam ſeculo dimiſſas proprietariè habeat deinceps, verba autem geminata ſunt iſta, *ſe non curare vel obolum, neque cupere ſua vel ſemel aſpicere, &c.* quæ ſunt voti Paupertatis interpretatiua, incapacitatem reuocandi in ſeculo facti teſtamenti vltro agnoſcentis, quid ita? quia is demum capacitatem teſtamentum reuocandi retinet, qui ſua curat & cupit vt patet *ex* § 1. *Inſt de donat.* vbi inquit Imper. mortis cauſa donatio eſt cum magis ſe quis velit habere, quam eum cui donat, & eſt hoc alias ita clarum vt nulla egeat probatione: Deinde ſi Titius agnouiſſet capacitatem reuocandi teſtamentum, eamque reſeruare ſibi intendiſſet, pugna & contradictio verborum niſi ineptè tollatur tolli non poſſet, quis enim niſi ſenſus communis expers, ad reuocandum teſtamentum ſe incapacem non ignorans talia effutiret? maxime cum interea dominium penes ſe donec moriatur, quod non magis in poſteriorem quam primum hæredem tranſfertur, remanere non ignorat; Sed eſto intenderit retinere capacitatem reuocandi teſtamentum, attamen cum iſta intentio inſufficiens ſit, & tanquam in mente retenta nihil operetur, nemo ſecundum eam litem & iudicium dabit.

63. Præterea eodem collimant alia verba Titij, quibus ſe ſæpedicti teſtamenti ante ingreſſum in Societatem facti pœnitere, quaſi illud retractare non liceret manifeſtum fecit qualia ſunt. *Vtinam id temporis intellexiſſem non fuiſſet factum quoniam animaduerto non potuiſſe bona conſcientia fieri*; & denique quibus Caium precariè rogat vt aliquid amplius præter legatum relictum Societati largiretur, & ſimilia; cur enim ſi exiſtimaſſet ſe capacem reuocationis teſtamenti iam dicto modo Caium rogaſſet, cur ſuo iure vſus non eſt, cum fruſtra impetretur quod iure communi conceditur *l. Imperator. ff. de priuil. Credit. l. vnic. C. de theſaur. lib.* 10.

Aduerſus hæc omnia deprehendo in aduerſaria Conſultatione

tione ſequentes reſponſiones: Prima eſt, non fuiſſe opus Titio proteſtatione reſeruandi dominij, quia certi iuris eratomne teſtamentum eſſe ſua natura reuocabile, & Scolares Societatis per vota ſimplicia non ſolum non amittere dominium, ſed potius illud retinere ex Conſtitutionibus & declaratione ſedis Apoſtolicæ, imo manifeſtum erat & eſt, nullum votum ſimplex Paupertatis habere vim priuandi dominio, niſi ex Eccleſiæ Conſtitutione, & Eccleſia non adiunxit hanc efficaciam voto ſimplici Scolarium.

Contra. I. Quæ prolixè de translato in Caium dominio diſputauimus, nolumus intelligi quaſi vi inſtitutionis ambulatoriæ, & ante obitum quandolibet retractabilis procedant, ſed potius ex ficta traditione mediante voto paupertatis tanquam titulo perpetuo & propter obligationem Deo promiſſam ſine peccato non reuocabili, vt prædicta impartialiter ponderans nullo negotio animaduertit. 64.

II. Nemo errauerit qui abdicationem per viam teſtamenti factam ex inſtituto Societatis dixerit irretractabilem, per ea quæ habentur in *Exam c.* 4. §. 1. quô loci Scolares coguntur diſpenſare bona temporalia à ſe omnem fiduciam ſubmouendo eadem vllo tempore recuperandi; nec dicatur d. textum intelligendum de diſpoſitione inter viuos, quia hoc admiſſo, fruſtra eſſet & nihil operaretur, quod eſt in iure abſurdum. Quod deinde dicebat, Scolares non ſolum non amittere per vota ſimplicia dominium ſed potius illud retinere, ſi iuſtæ, honeſtæ, vel iuſtiſſimæ retentionis cauſæ præſtò ſint, concedatur, ſin ſecus negetur, At quis in noſtro propoſito iuſtiſſimas retentionis dominij, poſtquam Titius illud abdicauit, cauſas obuenire dixerit? retinere enim eſt illud quod quis habebat, tenere: Vltimum in reſponſione ſua, ſcilicet quod votum ſimplex non habeat vim priuandi niſi ex inſtituto Eccleſiæ, de quo mox pluribus, non eſt ad rem, ſufficit enim accedere traditionem vt habeat ex iure gentium vim privandi dominio, iuxta illud: *Vouete & reddite.* 65.

Responsio II. Dato & non concesso, fuisse opus protestatione, illam non defuisse in emissione votorum Titio, nam in solenni formula votorum ita habetur, *Voueo diuinæ Maiestati tuæ Paupertatem, Castitatem & Obedientiam perpetuam in Societate Iesu, omnia intelligendo iuxta illius Societatis Constitutiones*; In quibus habetur Scolares, vt probatum tot locis addu-ctis, habere dominium bonorum suorum abdicandum à se, quandocunque Superiores iusserint; Ex quibus etiam infertur, falsum esse Titium habuisse intentionem, ex vi voti, abdicare dominium, cum expressè habuerit actualem intentionem vouendi iuxta Constitutiones, quæ statuunt à Scolaribus retineri dominium particulare & actiuum ad effectum, vt si opus sit, Societas liberè illos dimittat, & ipsi cum minori offensione discedant, habituri omnia sua bona, quorum nunquam dominium amiserunt, hæc autem formalis intentio vouendi iuxta Constitutiones, non compatitur vllam intentionem abdicandi dominium: Accedit quod, licet Titius habuisset intentionem abdicandi dominium à se vi voti Paupertatis quod emittebat, tamen hic actus fuisset inefficax, quia nemo potest sua propria voluntate abdicare à se dominium per actum vouendi sine adminiculo legis, vt supra probatum est.

66. Hæc responsio non rectè ad coniecturas recurrendum esse perhibet, quando verba Scolastici indubitanter, quid ipse votum emittendo, animo agitauerit, aperiunt, nullum enim est mentis nostræ maius testimonium quam qualitas expressa verborum, vt Baldus noster dicere consueuerat & *in l. generaliter in princip. Codice de non numerand. pecun.* Sed esto, vouerit iuxta Constitutiones Societatis, quia tamen illæ, vt probatum tot locis, sine iustissimis dilationis causis volunt Scolares dominium, *quantocyus, statim, incontinenti*, &c. abdicare; Titius ex eorum numero pa-

67. ruit, vt decebat & fictione breuis manus bona temporalia fratri tradidit, & vi voti abdicauit, vt patet ex sæpedictis, nul-

nullas iustas causas cur id non faceret, intercedere ratus; neque etiam vllum apud me est dubium, quin ipse constitutionibus etiam indistinctè retentionem dominij concedentibus, renunciare potuerit, cum principaliter eius fauorem, non etiam Superiorum respiciant, vt ex ratione cur dominium retinendum ab Aduersario allegata, perspectum esse potest. Quod eidem responsioni annectit, ex distinctione iam sæpe recitata, comiteturne voluntatem abdicandi dominium traditio, dissoluitur, si enim mediante hac voluntate alteri res temporales tradat, transit dominium adminiculo *legis.* 20 *Cod. de pactis.* & §. 44. *Institut. de Rerum diuisione.*

Responsio III. Verba Titij, *se non curare vel obolum, nec cupere sua vel semel aspicere, quia vouit paupertatem,* demonstrare suum effectum penitus abstractum à cura rerum temporalium, qualis decet Religiosum Societatis, qui licet retineat radicale dominium bonorum, nullum tamen retinet vsum nisi dependenter à Superioribus.

Contra: Quoniam Titius relatis verbis Caium bonorum titulo à se profecto detentatorem, ex causa præcedente allocutus est, non solum ostendit effectum penitus abstractum à cura, sed vel maxime à dominio & proprietate; verba enim quæ hoc modo possunt redundare in maius præiudicium præsumantur dicta ex iure alteri competente, Innoc. *in c. bonæ. de postul. prælat.* Bart. *in l.* 1. *de itin. actuque priuat.* Abb. *cons.* 82. *n.* 6. *lib.* 1. 68.

Hactenus probare annisi sumus Optime lector, Titium abdicasse rerum temporalium dominium, per emissionem votorum siue simplicium siue solennium, nunc superest vt explodamus, quod Oppositor de dominij abdicatione ex Ecclesiæ decreto instituta, quasi ea votis essentialibus & substantialibus religionis coæua non sit, prolixè proponit, Est autem 69. hac de re nostra (vt paucis agamus) hæc sententia; Per præstationem votorum substantialium statim vouentem in potestatem

Ecclesiæ vna cum proprietate & dominio rerum temporaliũ perpetuò transire, sine vlla hoc specialiter sanciente Ecclesiæ constitutione, ex natura quasi & votorum qualitate: habemus huius sententiæ assertorem Bartol. *in Authent. ingressi. num 2. de SS. Eccles.* aduersus quem sentire durum est, obtinere difficilè, vt inquit Beneu. Stracch. *in tract. de adiect. part. 3. num.* 16. eadem prorsus ratione, qua post arrogationem in arrogantem transit omnis possessio & dominium *l.* 16 *ff. deprecar* vbi idem Bart. omnium præceptor, per hoc, inquit dicemus quod si aliquis intrat monasterium ipso ingressu sine noua apprehensione monasterium omnium bonorum possessionem & dominium acquirit; atque ita haud dubiè accipienda est *Auth. Ingressi. C. SS: Eccles.* his verbis. *Ingressi Monasteria ipso ingressu se suaque dedicant Deo, nec ergo de his testantur vtpote nec domini rerum,* quibus ad priuationem dominij tanquam necessarium consequens personæ in Abbatis aut Monasterij potestatem redactæ, infertur, D Mart. 4. *de Iurisd.* 95. sed id clarius deducitur ex *Auth. si qua mulier C. eod.* Vbi Imperator post votorum emissionem religioso inter liberos testandi facultatem indulget, id sine dubio nulliter, si Constitutio Ecclesiæ dominij priuationem vt quidem existimat Oppositor induceret, Imo manifestissime probatur ex *Auth. nunc autem C. de Episc. audient.* in hæc verba. *Nunc autem cum Monachus factus est hoc ipso res suas omnes Monasterio obtulisse videtur.* II. in eandem sententiam feruntur
70. suffragia omnium, qui posthabitis seculi diuitijs monasteria ingressos capite minui & in potestatem Abbatis trãsire asseuerant, inter quos est Salic. in *Auth. si qua mulier. & ibid.* Fulgos *col. 7.* Ias. *n.* 21. Roman. *cons.* 237 quibus frustra opponuntur textus ab Aduersario allegati *in l. generali. C. de SS. Eccles. & l. si quis Presbyter. C. de Episc. & Cleric.* est enim vterque correctus à Iustin. *in Nou* 5. *c.* 5. eamque ob causam vterque allegatione indignus, imo falsus est, Bald. *in l. fin. C. de indict. vidnit. tollend.*

72. III Si Ecclesia adiunxisset voto illam vim priuandi omni iure & dominio, quis non erroris argueret & censoriam vir-

gulam

gulam vſurparet in Bald. *in conſ.* 304. *vol.* 5. Riminald Iun. *conſ.* 509. *n.* 32. Menoch. *conſ.* 82. *n.* 158. qui Auth. *ingreſsi*, de primo ingreſſu non autem eo qui fit per profeſsionem intellexerunt, quos refert & ſequitur D. Mart. 4. *de iuriſd.* 95. hanc opinionem veriſsimam & numero Doctorum locupletiorem ratus; quam etiam amplecti illos neceſſe eſt, qui autumant, ſi pater filio ſub conditione, ſi ſine liberis deceſſerit fratrem ſubſtituerit, inſtitutus vero poſt ingreſſum in monaſterium intra annum probationis adhuc Nouitius deceſſerit, bona acquiri monaſterio excluſo ſubſtituto, vel venientibus ab inteſtato, cuius adſtipulatores ſunt Iacob. Rauenn. Petr. de Bellapert. Rayner. de Fortliu. *in d. Auth. ingreſsi & ibi.* Cyn. *in* 2. *quæſt.* Bart. *in d. Auth. ſi qua mulier in fin. C. de SS. Eccleſ.* Dec. *in Auth. ingreſſi. n.* 4. Ancaranus *conſ.* 69. Barbat. *in Clem.* 1. *de elect.*

Sed hic poſſet obijcere Aduerſarius, Nouitium intra annum lege permittente condere teſtamentum. Reſp. hoc prædictis non obſtare, quia vtrumque ſtare poteſt, cum dominium non ſit translatum irreuocabiliter, ſed ſub conditione reſolutiua, *ſi ſibi non placuerit intra annum probationis*, ſicut in donatione cauſa mortis quæ morte confirmatur, ergo ſi non teſtatur ipſe non reuócat, & ſic morte confirmatur D. Mart. *l. cit. n.* 17. 72.

Obijcitur II. Votum Caſtitatis Religioſæ non priuat profeſſum qui coniugatus eſt iure exercendi copulam maritalem, ergo haud difficilius dabitur votum Paupertatis quod non priuet Religioſum dominio bonorum ſuorum temporalium.

Reſp. I. Ineptam eſſe hanc obiectionem ex ſententia omnium præcitatorum, qui etiam ante vota in monaſterium dominium tranſire opinari ſunt. II. ab æquiparatis ſi in vtroque ſit diſpar ratio inſubtiliter argutamur, vt equidē hoc loci Oppoſitor, cur enim poſt votum paupertatis duret matrimonium ratio 73.
eſt, quia quod Deus coniunxit homo non ſeparat, & ſunt duo

in carne vna, id est, inseperabiliter coniuncti *Matth.* 19. dominium vero facile transit *l. quis ergo casus. iunct. gloss. ff. de pecul.* quod nulla eget probatione.

74. Est ergo ea nostra sententia, non iure Ecclesiastico privari dominio religiosum, non etiam priuari demum per emissionem votorum, nec nisi ineptè votorum solennitate; sed priuari iure ciuili canonizato in *c. quia ingressi.* D. Mart. *d. cas.* 95. etiam ante vota *Dd. supracit.* Id obiter notantes inter vota solennia & simplicia religionis nullum esse discrimen Nauarr. *in tract. de reddit. Eccles.* nisi accidentale Scot. Palud. & Durand. *in* 4. *dist.* 38. nam solennitas voti vt ait gloss. *in c. nuptiarum.* 27. *q.* 1. *v. vxores.* ad substantiam voti non pertinet. Sed instat nonnullus, quis itaque votorum editorum effectus sit, quæ operatio? *Resp.* effectus est vt dominium transeat irreuocabiliter, nec testari deinceps aut quomodolibet disponere liceat, quod ante equidem concessum erat, vt subtiliter D. Mart: *d. cas.* 95.

75. Infertur ex dictis, quantum ad priuationem dominij attinet, frustra Aduersarium distinguere inter vota solennia & simplicia, substantialia tamen & essentialia religionis propriè dictæ, frustra sæpissimè monere religiosos primorum seculorum fuisse verè, & propriè religiosos, dominij nihilominus capaces, posteaquam legibus posterioribus bona temporalia personam sequi; & fictione iuris & de iure dominium post ingressum amitti sancitum est: falsò præterea asseritur vota à Scolasticis Societatis emitti solita, se habere instar mere simplicium, quia quod Aduersarius in consultatione sua *n.* 57. non diffitetur ex parte emittentium habent effectum votorum solennium, quod ad dominij abdicationem sufficit; At vrget Aduersarius, Ecclesiæ non placuisse annectere vim priuandi dominio votis Scolasticorum ex parte solennibus, Hoc itidem falsum est ex sententia Mandos. Nauarr. Rodriq. Haij & aliorum, & petitio principij.

76. II. In Societate votum Castitatis invalidat contractum matrimo-

trimonij, & habet vim voti solennis, ergo etiam votum Paupertatis reddit Scolasticum incapacem dominii; Aduersarius respondendo petit principium, inquiens, Ecclesiæ non placuisse adiungere incapacitatem voto simplici paupertatis Scolarium; Si instes, In religione propriè dicta, qualis est Societas, non debere vnum votum esse laxius altero, ipse nimis subtilem agit, & non esse de natura voti paupertatis abdicare dominium præcise contendit.

Hactenus satis factum est, vt opinor, non cariosè argumentis obiectis imbellibus & oppido frigidis, nunc quoniam Aduersarius effuso sermone immemor sententiæ Poëtæ, 77.

Parcius ista viris tamen obijcienda memento,

gladium Excommunicationis stringit in viros eruditione egregia primarios, Sacræ Theologiæ Professores & in rebus Societatis perscrutandis diligentissimos, vt vno verbo hanc animaduersionē sub incudem vocem paucis contendo, in casu assertæ post vota emissa reuocationis testamenti, Doctores quoscunq; 78.
potuisse, & etiamnum posse, etiam acerrime disputare, quia de mente & genuino sensu Constitutionis disputare licet, modo sit disputatio, qua nec impugnatur nec contradicitur ipsa sacra Religio, sed confirmatur & roboratur ea, vt hic in Bulla, *Ascendente Domino*: in verbis *(impugnare vel contradicere audeant)* Hinc licet Concilij Tridentini interpretatio ad Pontificem Maximum spectet, & ad Illustrissimos Cardinales illius vicem gerentes, vt tradit Anton. Cucchus *lib. 2. Instit. Maior. tit. 3. de Concil. Oecumen. n.* 60. Quia hi demum interpretari canones possunt qui condendi authoritatem habent *l. fin. C. de ll.* tamen interpretationem & declarationem quam alij dederunt licet referre, vt docet ipse Cucchus. *supra libro 5. titulo 11. de Sacramento Matrimon. n. 87. vers. Et quanquam*, ob id plus quam centum & vigenti dubia quæ ex decisione Consilij Tridentini in *cap.* 1. *Sess.* 24. refert prout à Scriptoribus diuersis & nouioribus tradita sunt Caual. *pract. q.* 604. *n.* 18. Secundo licet de potestate S. Pontificis disputandum nō sit

atta-

attamen de voluntate quæri & dubitari potest, quod est valde diuersum per *l. scire oportet* § *sufficit. ff. de ex cauf. tut.* Lapus *alleg.* 609. quia negando S. Pontificem voluntatem & intentionem habere hoc vel illud statuendi, non negatur neque disputatur potestas, nec quisquam dixerit sufficere habere potestatem si non habeat voluntatem arg. eorum quæ tradit Vult. *de feud. lib.* I. *c* 8. *n.* 17. Accedit tertio disputandi iustissima causa & necessaria, qua priori, à dolo, per tradita à Menoch. in *rem.* 3. *retin. possef. n.* 6. 22 (sine quo Excōmunicatio siue vt delictū siue vt pœna iniquissima est) nihil remotius, posteriori nihil excusabilius, vtramque no cis adstipulari in aprico est, hanc quidem si
79. consideremus Curatorem vtilia agere & inutilia prætermittere iuratum, pendente appellatione oportere causam prosequi, nisi periurus esse, aut rei familiaris diminutiuam actionem tutelæ experiri mauelit *l.* II. *C. de administ. tut.* Et tamen à R. Patribus Societ. in hac lite ab agendo Excommunicationis ense deterrendus erat, imo quod obstupescendum, etiam ante latam sententiam, id est, antequā innotuerat disputationis iniquitas; dicebatur præterea turbare priuilegia, quo nihil poterat esse inanius, quia nō turbat qui subsellia Iudicis adit, & actione ordinaria vt itur *c. cū Ecclesia Vulterana de elect.* Abb. *in c.* 8. *de rest. spol.* Sæpissime etiam quasi supremam Ecclesiasticam maiestatē contēpsisset, impetebatur, & vrgentissimæ contra ipsum iniuriarum protestationes insurgebat quotidiè, fortè non sine suspicione causæ sua sponte ruentis, plerumque enim ita fit, vt qui causam malam fouent id vnice curent, vt Aduersarium à scopo abducant, & vel actione iniuriarum vexent, vel Principum dignitatem ac reputationem læsam aut contemptam esse clamitent, vel qua simili arte iustitiam impediant ac deludant Cothman. *conf.* 63 *in fine volumine* 2. De iustissima causa vero quis dubitet? cui adstipulantur viri grauissimi Horat. Mandos. *de priuil. ad Inst. gloss.* 2. *n.* 24. *& alibi,* Hieron. Gabriel. *conf.* 28. *lib.* 1 Roman. Haius *in Astro inextinct.* & Rodriq. *sup. cit* quamque tuentur diuersa responsa Doctorum, non duorum tantum, quos

suf.

ſufficere vt quis iuſtam litigandi cauſam habere dicatur exiſtimat Bald. in *l. iuris ignorantia C. qui admitti.* Sed plurium; At forte Aduerſarius dixerit etiam iuſtam diſputationem prohibitam videri ſi in genere omnis diſputatio prohibeatur; id tamen improuide, fatetur enim contrarium Eman. Rodriq. *quæſt. Canon. & Regul. tom. 1. art. 4. & 5.* cui ſuffragatur doctrina Bart. *in l. omnes populi col. pen verſ. vltimo quæritur ff. de Iuſt. & iur.* vbi in terminis inquit, Clauſulam *de non diſputando,* intelligi de diſputatione friuola, quam refert & ſequitur Rebuff *in Compend. Alien. rer. Eccleſ. n.* 49. & in ſtatuto excludente omnem interpretationem obtinere docet Menoch. 2. *de arb. iud.* 197. *n.* 3. Et forte haud imprudenter à D. Oppoſitore quæſiuero, cur non D. Abbatem in cauſa contra Nerium, priuilegiorum Societ. acerrimum diſputatorem, vt ex deciſ. S. Rotæ Romanæ videre eſt, ad tribunal excommunicationis vocauerit? ſed abrumpo.

Sequuntur Adiuncta A.B.C.D.E.

TENOR LITTERARVM TITII, abſolutis votis ſubſtantialibus ad Curatorem hæredemque Caium fratrem tranſmiſſarum.

Vielgeliebſter Ohem/ ich zweifele nicht/ Ihr werdt euch hochlich verwunderen/ &c. deweil ich alſo von der boſer weldt befreihet/ ietzunder durch mein glöbt mich Gott dem almechtigen verſchworen hab/ kan nicht gnugſamb Gott loben vnd dancken; eins aber iſt welches mich ſehr beſchwerdt/ vnd gleichſamb mein hertz trucket/ welches euch woll bewuſt/ daß nemblich meiner guter Anordtnung betrifft/ welche wir dazumahl gemacht/ vnd die vnderſchreibung deren ſachen welche meinem bruder zukommen ſollen. Lieber Ohem neben dem, waß mir nicht bewuſt/ ſo woll waß mein Erbgut antrifft/ alß auch daſſel- A

bige welches vnderschrieben/ solt ihr wissen daß ich von der zeit ahn kein ruh in meinem gewissen gehabt/ vnd in grosse trawrigkeit gewesen bin / offtermahln heiße zehren vor Gott vergossen/ vnd wiewoll es mir meine Oberen befohlen außzuschlagen vnd getröstet/ hab ich mir selbst nicht können gnug thun / sonderen alßbaldt zu meiner trawrigkeit gerathen; damit ihr aber nicht anders meinet / ist ein Ober/vnter welchem ich alß vnter einem Vatter bin/der mir weder ein hartes wort zugesagt / wiewoll er billich vrsach gehabt hette/ weder auch dergleichen mit dem geringsten wort zuuerstehen gegeben/ sonderen viel mehr mich getrostet/vnd nichts begert; aber alß ich gesehen/ daß durch ihn mir die Seligkeit / gleichsamb mein fortgang im Geist vnd andere gnaden zu theil worden/ benebens die vätterliche sorg ahn leiblichen sachen/ ahn kleidung/kost vnd ander dergleichen zu disser elender zeit/ da er selbst bedrengt vnd schwerlich vnß kan erhalten/doch Gott lob/ nimmer mangel gelitten/ hat mich das gewissen mehr vnd mehr geschlagen/ dermassen/daß ich jetz den schmertzen nit lenger bergen kan; damit ihr jhn verstehet/vnd benebens hefftig gebetten daß die Sach retractirt werde/ dieweil auff ein ander weiß die zertheilungh vnsser gütter viel fuglicher geschehen kan/ **Nicht eben daß ich also verpflicht sein soll/wolte Gott daß ich es dazumahl recht verstanden eß solte nicht geschehen sein/dieweil ich mercken hat es mit gutem gewissen nicht konnen geschehen/** vnd von euch halte ich anders/darumb so viel ich vermuthe/durch anderen dasselbig euch gerathen/ denen eß Gott verziehe/ Neben dem Gott der almechtig pflecht nicht sein Benediction zugeben / wann eß also geschicht; Pitt derohalben ihr wollet die Sach woll zu hertzen nehmen vnd woll bedencken vnd anders anstellen/damit nicht so woll in diesem/alß jenem leben wir etwaß austehen mussen/ wir konnen auff ein andere weiß eben zu frieden gestelt werden/ welches ich auch verhoffen daß es zu seiner zeit geschehen wirdt. **Ich zwahr frage noch keinem heller/ beger daß meinig nicht einmal**

mal anzusehen / dieweil ich N B. die Armuth verlobt/ Aber mein hertz zustillen ist gantz vnnöthen/ verhoffe gentzlich es werde alles zu seiner zeit woll ordinirt werden/ so euch beliebt kont ihr mir einmahl daruon schreiben/ wie es damit beschaffen vnd wie ihr gesinnet.&c. 31. Maij Anno. 1634.

L.S.

MATTHIAS MERRHEM.

ALIARVM LITTERARVM TENOR EXTRACTVS.

CHarissime frater Ioannes miraberis forte quod nihil hactenus scripserim, nec quicquam de me meisque rebus tibi per alium quemquam significauerim ; Equidem non miror cum omnem scribendi materiam hi bellorum tumultus mihi sustulerint, imo potius prohibuerint ne te ob misera hæc tempora dolentem magis affligerem, Nunc vero vnum occurrit, scias enim præterquam quod adhuc bene valeam *tribus votis Deo me totum addictum mei iuris amplius non esse*, quod si vere intelligis magno gaudio esse deberet.&c.

L.S.

Tuus Frater,

MATTHIAS MERRHEM

M.P.

Commissa est causa huius disceptatio ex tribunali Iudicis. 9. *Iulij Anno.* 1635. *resoluenda R.P. Ioanni Philippo Fridt, & Ioanni Michaeli Glaser SS. Theologiæ Doctoribus, qui publicatam resolutionem contra R. Patrum Societatis iudicialem velitationem, post sententiam definitiuam proprio autographo confirmarunt.* B

DE-

DECRETVM DD. IVDICVM, IX. IVLII LATVM, EST HVIVSMODI.

C In sachen Philipsen Koix vnd Consorten gegen vnd wieder Herren Patres Societatis alhie eins vnd anderen theilß/ wirt t auß bewegenden vrsachen beiden dieser Sachen herren Referenten vffgeben/ mit zuziehung zweyen bewerhter beiderseiths vnbekanter der heiliger Schrifftgelehrten/ die hinc inde einkommene gerichtliche handtlungen abermahln fleißig zu recapitulhren vnd zu ersehen/ demnegst in offentlichen gantzen Gericht auff obgedachter der heiliger Schrifftgelehrter gutachten zu referiren, deme furgangen soll ergehen vnd geschehen was rechtens.

D In Con: vnd Reconuention Sachen Philipsen Koix vnd Consorten in actis benendt, primordial Clegeren vnd Nachbeklagten eins/ gegen vnd wieder herren Patres, Rectorem & Collegium Societatis Iesu alhie in Cöllen anfangs beklagten vnd Nachklegeren anderen theilß/ wirdt nach fleißiger ersehung der dißerhalb einkommene Gerichts handtlung/ vnd in erwegung aller vmbstendt/ daß à parte primordial Clegeren vnd nachbeklagten Koix & Cõsorten beschehenes begeren gestalten sachen nach abgeschlagen/ vnd die Sach ambts halben vor beschloßen auff vnd angenohmen/ darauff vnd allem furbringen nach zu recht erkent/ daß gedachter primordial Cleger vnd Nachbeklagter Koix, Ihnen den herren Nachklegeren von zeit getragener vormundtschafft vber M. Matthiam Merrhem wolgemelter Societet Iesu Scolasticum vnd dessen allinger Erbschafft gebuhrlich Inuentarium zu lieberen rechnung vnd reliqua zu præstiren vorgewendter einredt vngehindert (jedoch alles coram. DD. Scabinis) schuldig vnd gehalten sein solle/ Inmaßen wir Greue vnd Scheffen dieses Churfurstlichen weltlichen hohen Gerichts in Cölln Ihnen darzu schuldig erkennen/ vñ zu dem endt quindenam & interim pro termino ansetzen/ auch in halbscheidt der Gerichts Kosten derowegen vffgelauffen mehr wolgemelten herren Nachklegeren zu entrichten vnd zu bezahlen vnserer

rechts

rechtlicher ermeßigung vorbehalten fellig ertheilen; die andere halbescheidt auß bewegenden vrsachen compensiren vnd vergleichen.

Ex tunc Procurator Mey salua nullitate prouocauit & appellauit, petens sibi 1. 2. 3. de Apostolis responderi.

Superuacaneum esse duximus Scriptum confirmatorium prioris iudicialiter requisitæ & publicatæ resolutionis hic annectere, sufficiat impartiali lectori lectio & aspectus subscriptionum SS. Theologiæ Doctorum illud comprobantium E

IVxta quæstionum ex superioris facti specie deductarum resolutiones & præallegatam DD. tam extraneorum quam domesticorum Societatis Iesu doctrinam, Titius absque præuia testamentaria factione, aut quauis alia bonorum suorum dispositione, substantialia Religionis probatæ vota emittendo, sicque seculari vitæ actualiter renunciando & religiosam in approbata Societatis Iesu Religione statum assumendo, seipsum inter ciuiliter mortuos nihilque in hoc seculo proprium habentes constituit, cuius proin hæreditas si quampiam habuerit, statim ab intestato alio deuoluitur, casu vero quo siue in seculo reuocabiliter siue in Nouitiatu pro simplici sua promissione irrecuperabiliter de suis disposuerit testatusque fuerit, atque postmodum elapso Nouitiatus biennio substantialia religionis vota emiserit, præcedentem dispositionem testamentique factionem etiam ignorante Superiore conditam eo ipso interueniente ciuili morte confirmauit, atque vti se quantum quidem in ipso est propria voluntate non solum omni hactenus adita possessione priuauit, sed etiam omnis deinceps adeundæ proprietatis incapacem reddidit; ita quoque vlterioris de suis quondam habitis bonis dispositionis inhabilem fecit. Sic sentio, saluo cuiuscunque melius sentientis iudicio.

MATTHÆVS HOËN, *SS. Theologiæ Professor Ordinarius.*

CAſum præſentem de condito per Titium ante ingreſſum in Societatem Ieſu teſtamento,& Caio minorenni fratre herede deſignato,inque poſſeſſionem admiſſo, nec non de tribus poſt biennij Nouitiatum abſolutum ſubſtantialibus pro more Societatis (prioribus tabulis non reuocatis) ſimpliciter emiſſis votis,diligenter legi, Doctorum communi ſententiæ conformem reperi, ac niſi ſpeciali habentis poteſtatem indulgentia noua ex profeſſione ciuiliter mortuo, facultas adminiculetur, teſtamentum ante religionis ingreſſum à Titio Conditum irreuocabiliter factum effectum ſuum aſſecutum eſſe iudicaui ſapientioris iudicio deferens.

HENRICVS NEEL *SS.Theolog. Doctor,*
ad Eccleſ. D. Ioannis Baptiſtæ. Paſtor.

---

*R*Eſolutiones quæſtionum propoſitarum vti doctas ita & veras ſecundum aliorum quoque Doctorum ſententiam plane ſentio,ſic teſtor manu propriâ.*

Fr. IACOBVS HORNS, Paſtor ad S. Brigidam,
& apud Vbios SS.Theol.Profeſſor.ordinar.

PErlectis & diligenter ponderatis quæſtionum propoſitarum reſolutionibus,earumque quibus nituntur communis ac ſpecialis Iuris ac rationis ſolidis fundamentis, iudicio eſſe veras ideoque ſine humano reſpectu vti veritati ac iuſtitiæ conformes ſequendas: Ita ſentio ſaluo ſemper meliori iudicio.



Fr. NICOLAVS HAVSTADT, *ordin. Præd. Sacræ Theologiæ Doctor & Coloniæ Profeſſor Ordinarius.*

Nihil in hac Epopſi aut doctrinæ Catholicæ, aut melius ſentientium iudicio contrarium dictum eſſe volumus.